Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Theodor Sprenger

Fontes Iuris Publici Romano-Germanici : Ex Antiquitate eruti, Ac Cum Moderno Usu Et aliorum Regnorum moribus sparsim collati, In quo inprimis relative recensentur paecipuae seculi nostri in Germania controversiae

Francofurti: Vogelius, 1666

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088

Druck Freier Zugang




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn749357088/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0002
DFG

Ex Testamento Willebrandiano

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0004
DFG

FONTES
JURIS PUBLICI
Romano-Germanici
Ex
ANTIQVITATE
eruti,
Ac
CVM MODERNO VSV
Et aliorum Regnorum moribus
sparsim collati,

In quo inprimis relativè re-
censentur præcipuæ seculi nostri
in Germania contro-
versiæ,

Authore

JOH. THEOD. SPRENGERO, JC.
C. P.

FRANCOFVRTI,
Impensis Ægidii Vogelii.
M DC LXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0006
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO,

Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti Markæ, & Ravensbergæ, Domino in Ravenstein:

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

S. D.

à Deo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0007
DFG

TEnue hoc holocaustum, *Serenissime Princeps*, se ad pedes V. Serenitatis provolvit, fateturq; humiliter, majora & ampliora V. Seren. deberi. Nec est, quod causſam dedicationis multū pervestigare velim, obsoletumque esset aliorum vestigiis hîc insistere, qui dedicationes panegyricis implent: Nec meum foret soli præferre facem, vel Serenissimæ Saxonico-Vinarienſis domus elo-

elogia, satis omnibus nota, vel V. Serenitatis heroica & in novissimis bellis fortiter demonstrata generosa facta, sane Principe Imperii & Germano digna enumerare. Hæc annalibus relinquo, & solum pro excusanda hac mea audacia ad beneficia patri meo V. Serenitatis humilimo servo & Consiliario gratiosè collata provoco, nomine filii pro paterna obligatione obstrictus. Ac cum sortis meæ tenuitas prohibeat, quo

quo minus magis apto obsequii genere, meam humilitatem testarer, malui minus, quam nihil solvere, eoque palam testari, quod sim

V. Serenitatis

humillimus servus

Joh. Theodor. Sprenger.

In-

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *An Imperium primò electitium aut successivum fuerit?* pag. 1
II. *Prima mentio Principum.* 19
III. *De Iure quod* Fürsten Recht *vocant.* 30
IV. *De Episcopis.* 40
V. *De antiqua Collecta Imperiali.* 53
VI. *De antiquis Iudiciis.* 57
VII. *De Quanto Census in antiquitate practicati.* 62
VIII. *Modus collectandi in Germania.* 66
IX. *De Coronatione.* 71
X. *De Vicariatu S. R. Imperii.* 90
XI. *Quis primus fuerit Elector inter Comites Palatinos & Duces Bavaros.* 118
XII. *De communi denario.* 167
XIII. *De Collecta Romana.* 181
XIV. *De Matricula.* 183
XV. *De Reditibus Imperii.* 185
XVI. *De Investitura.* 188

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0011
DFG

XVII. *Varia de Vicariatu.* 190
XVIII. *De Vicariis particularibus.* 195
XIX. *An monetam Imperialem cudere possint Vicarii, & de antiquitate juris monetarii.* 200
XX. *De Titulatura.* 208
XXI. *De Ratione subscribendi & signandi Diplomata.* 241
XXII. *Quæ exteri Principes ab Imperio habeant, & titulo feudali recognoscant.* 243
XXIII. *De Statu Religionis.* 264
XXIV. *De Protectione.* 306
XXV. *De Iure Civitatis.* 311
XXVI. *De Insignibus.* 368
XXVII. *De Potestate creandi Nobil. & Equites.* 370

Epi-

CAPUT I.

An Imperium primò electitium, aut successivum fuerit.

CArolus M. consilio Principum Augustum appellat Ludovicum filium suum: *Aventin. l. 4. p. 375.* qui Ludovicus vivente adhuc Patre PRINCIPUM DECRETO Cæsar designatus erat. *d. auth. l. 4. p. 375.* Primò dicit Aventin. consilio Principum: posteà decreto; ultimum necessitativum, primum voluntarium est: Videturque hinc communem opinionem adeò radicatam non esse, qua affirmatur Imperium Francorum usque ad tempora Conradi exclusivè fuisse successivum: Nisi quod ita interpretari velimus, successionem illam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0013
DFG

Proceres confirmasse, seu potius quàm diu ex stirpe Regia aliquis superstes fuerit, illi eligendo adhæsisse, nec extraneum elegisse, ut in Poloniæ regno etiam electiio semper Nobiles practicaverunt, idemque usque ad tempora Friderici Tertii Regis Danorum, Moderni Augusti, quo successivum factum est, in Regno Daniæ à Nobilitate eligente observatum fuit: Et id de regno Francorum credibile est: Sic & post mortem Arnulphi filium illius Ludovicum septimum annum agentem, in Germania Proceres, Pontifices, populusq; Francorum, apud Forchaim Franciæ Bojariæque antiquæ oppidum, Regem nuncupant. *Avent. l. 4. p. 475.* Quid nuncupatione Procerum opus fuisset, si jure successionis filiis Regum Imperium affectum fuisset. Videturque de successionis Carolinæ necessitate fuisse consensus OPTIMATUM: ita enim *Author annal. Pithœan. ann.* 806. de illa partitione regni inter

ter filios illius. Carolus M. testamentum conscripsit, ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione roboratum. *Regino* addit *in annal. eod. ann.* tum Sacramentum à Francis fuisse interpositum. Audi *Theganum Chorepiscopum Trevirens. in Ludovico Pio c. 6.* qui hujus Imp. coætaneus Scriptor: *Imp. Carolus M.* (inquit) vocavit filium suum Ludovicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus: Cum illis grande habuit Colloquium, si eis placuisset, ut nomen suum i. e. Imperatoris, filio suo Ludovico traderet.

Mosque tum erat, ut cum Imp. adhibito Consilio Procerum filium suum vel alium *designasset*, ei insignia Regalia mitteret; *Author annal. Pithaan. ann.* 839. *Aimonius de gestis Francorum l. 5. c. 19.* Fuerunt autem Insignia, juxta me-

moratos Authores Sceptrum & Imperii Corona. *Nithardus*, arma inter illa Regalia ponit, omittendo sceptrum, *l.* 4. Crusius insignia fuisse memorat, SCEPTRUM, DIADEMA ET ENSEM. Quæ regalia Conradus Henrico Aucupi per fratrem suum Eberhardum transmisit. *Crusius in annal. Suev. d. l.*

Videtur aliquid ex successione & aliquid ex electione habuisse, ita ut Electio Procerum habuerit vim magis confirmandi, quàm eligendi. Successionem enim semper prævaluisse certissima indicia sunt, nec solum in Carolinis, sed & longè post Francorum tempora.

Sic Henricus Auceps dum ex hac vita migrat, successorem filium suũ Ottonem Cognomento Magnum testamento declarat, *Avent. l.* 4. *p.* 488. Hic Otto filium septimum agentem annum Regem declarat, & ad aquas Graneas solenni ritu inungi PRÆCIPIT. *Avent. l.* 5. *p.* 500.

Sic

Sic & Conradus II. Henricum III. nuncupat successorem & IMPERII HÆREDEM, & in ejus verba plerosque, qui aderant, Principes Episcopos jurare jubet: *Avent. l. 5. p. 536.* Posthæc ad aquas Graneas se confert, Henricum filium suum Regem Bojorum Cæsarem declaratum, quintum agentem annum diademate ornat. *d. auth. eod. l. p. 540.* Henricus III. testamento declaravit successorem Henricum IV. filium suum. *Avent. l. 5. p. 542.* Hinc *dictus Aventinus l. 5. p. 510.* in ea versatur sententia; Quòd electio longo post tempore instituta fuerit, filiiq; semper parentibus, proximi sanguine & affinitate in demortuorum locum successerint. Et Electores post fata demum Friderici II. Imp. institutos esse, *Aventin. l. 5. p. 510.* Sed aliud est, quando Electorum numerus ad septenarium redactus fuerit, aliud quod Electio tum demum inceperit. In primo consentio, in altero dubito. Ipseque *Aventinus* suæ opi-

nioni dubiam fidem facit *l. 4. p. 475.* Ubi talia profert: An. 911. post mortem Ludovici Hatto solum Moguntinus, & Otto Regulus Saxonum, qui anteà tutores erant, Conradum Hessum nullo gradu contingentem Regum Cæsarisque domum, imponunt. *It. eod. lib. p. 483.* Ideò Arnulphus Rex Bojariæ, Giselbertus Dux Lotharingorum, Eberger & Bertholdus fratres, & Burchardus Suevi Conradum recipere recusarunt, Carolum posthumum justum hæredem ex Galliis accersendum censebant. Quid inde aliud, quam quòd Conradus per electionem sceptrum attigerit. Consentitque *Gordonus in hoc Imp.* de quo ille: Ludovico mortuo, Germani Proceres electione Regem & Cæsarem sibi constituunt Conradum Francum. Ibi inter Regem & Cæsarē differentiam facit, diversa enim semper fuerunt, & adhuc sunt, *Imperator* & *Rex Germaniæ*, prout & in titulo Imperatoris adhuc diversitas illa notatur.

Itaq;

Itaq; *Cranzius in Saxon. l.3.c.1.* Conradus Henricum designat, quem eligit omnis Francorum & Saxonum Nobilitas: *Idem l.d.*

Sicque ante Friderici II. tempora an planè electitium fuerit Imperiũ, plerique dubitant. Post illa tempora & ab initio Rudolphi I. nullus dubitaverit.

§. 1.

Antequam Electio ad certũ numerum restricta erat, quib. eligere competierit.

Ita *Aventin. l. 5. p. 509.* Longo post tempore instituta electio fuit: Filios semper parentibu proximos sanguine & affinitate i demortuorũ locũ successisse. Ab omnibus comuniter Ducibus, Dynastis, Satrapis, Episcopis, Præsulibus, Civibus, Populo Italiæ, Galliæ & Germaniæ designatũ esse rectorem, Usus tum rerum magister indicat: Ego illos demum Electores post fata Friderici II. institutos, & à Gregorio X. Pontif. cõfirmatos esse competio: Hęc ille; Aliter *Thegan' in Lu-*

dovico Pio c. 6. Imp. Carolus M. vocavit filium suum Ludovicum, cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, cum eis grande colloquiũ habuit, si eis placeret, ut nomen suum i.e. Imperatoris filio suo Ludovico traderet. Hic & mentio fit exercitus; Sed omittit Theganus Satrapas, Præsules & Cives. Meminit *idem Aventin.* populi Galliæ & Italiæ. Sed separanda hic sunt tempora. Tempore Arnulphi Itali proprium sibi Regem constituerunt, & ab Imperio se diviserunt. Galli post divisionem Ludovici & Caroli, (illi Germania, huic Gallia cessit) ad nostrum usq; seculum *ipso memorante Aventino l. 4. p.* 487. nunquam sub unius ditionem coierunt.

Et adhuc de omnibus Germaniæ provinciis an jus electionis habuerint, dubitari posset: Anno 911. duo solum eligebant Conradum Hessum (juxta alios Francum) Hatto Moguntinus & Otto Regulus Saxonum.

num. *Aventin. l. 4. p. 483.* Conradus desperata salute sanitatis convocatis PROCERIBUS FRANCORUM, Henricum Regulum Saxoniæ successorem declarat, *Avent. l. 4. p. 485.* Addit *Cranzius in Saxon. l. 3. c. 1.* Francis Saxones, dicens, quod Francorũ & Saxonum Nobilitas in Frizlaria Henricũ Aucupem elegerit. Quamvis *apud Crusium* solùm Procerum Franconiæ mentio fiat *in annal. c. 8.* Erat autem Henricus potens Rex Saxoniæ, Franconiæ, Alemanniæ, Bojariæ & reliquæ Germaniæ. *M. S allegat. in demonstrat. Mogunt. circ. jus coron.* Memoratq; rursus *Cranzius c. 14.* in Ottonis I. electione populi Francorum & Saxonum: Credibile est, tum juxta duo jura, Francorum & Saxonicum, quæ memorantur *in c. 1. de Sponsal.* omnem Germaniæ populum divisum fuisse. De Henrico II. ita *Aventin. l. 5. p. 509.* Henricus Bojus jure consanguinitatis Imperii insignia usurpat: *It:* Herbertum Archimystam Agrippi-

nensem (qui tũ ut prudẽtiâ, integritate vitę, authoritate Cæsaris præstabat, ita primas novi Principis cõstituendi tenebat, nam ab ejus arbitrio cæteri pendebant) in potestatem redegit suffragia, Comitiaque Cæsarea tanquam jure hæreditario vi extorquet, à Willigisio Moguntino Pontifice sacro oleo inungitur: *Aventin. l. 5. p. 509.* Sicque tum quasi unus constituebat. Sed obscura illa sunt, adeoque suis tenebris relinquenda.

§. 2.

An Electorum numerus post Friderici II. tempora non major quàm septenarius fuerit.

Post mortem Henrici Imp. VII. magna erat inter Electores dissensio: Quare à Rege Bohemiæ, Archiepiscopo Moguntino & Trevirensi, Marchionisque Legato electus est Ludovicus Dux Bavariæ. Fridericum Austriacum verò elegerunt, Palatinus Rheni, Archiepiscopus Colonienſis, Ludolphus Dux

Dux Bavariæ Ludovici dicti frater, & Rudolphus Dux Saxoniæ: *Mutius in suo Chronic.* Hic videtur numerus octonarius; Sed error est. Ludovicus Imp. nullum habuit fratrem Ludolphum, qui suffragio Friderico Austriaco astipulabatur; erat Rudolphus Comes Palatinus Rheni & Elector.

It. Mutius in Chron. & Bzovius in annal. Eccles. anno 1346. plures in electione Caroli IV. quàm septem notant: Ita illi: Cõvenerunt Archiepiscopi Luzenburgensis, Trevirensis, Colonensis, Moguntinus, & multi alii Ecclesiastici Prælati: Veniunt quoque Rudolphus Dux Saxoniæ, Johannes Rex Bohemiæ, & alii. (deinde) Illi ex impulsu Pontificis Imperatorem filium Regis Bohemię Carolum, Marchionẽ Moraviæ, &c. Sed vix his fidem tribuo; cum tot authores illorum temporum cum communi opinione hac in re sentiant, plures quàm septem nõ ponendo: Inprimis cum Abbas Urspergen-

sis, qui tempore Friderici II. vixit, nō plures quàm septem OFFICIALES ELECTORES enumeret. Huic sententiæ accedit Matthæus Parisiensis, qui circa annū 1250. non longè post Abbatem scripsit, & ex actis Concilii Lugdunensis anni 1245. refert, ab *Innocentio IV.* tum constitutos esse Electores septem: Duces Austriæ, Bavariæ, Saxonum, Brabantiæ, qui & Lovanii, & Archiepiscopos Colonienſem, Moguntinum & Salzburgensem. Quoad personas tamen ab Abbate discrepat; ponit enim Duces Bavariæ, Brabantiæ, & Archiepiscopum Salisburgensem. Sed Principes Imperii Constitutioni huic non paruerunt, quod omissum à Baronio arguit *Goldast. in Replic. pro Imperio c. 38.*

§. 3.

Electores ex tot Principibus electi ratione potentiæ, an contemplatione officiorum, quæ jam habebant.

Primum proponit *Munsterus in Cosmogr. sua.* Sed ultimum & quod verius

verius est, propugnat Abbas Urspergensis circa tempora Friderici II. Imp. qui hisce id innuit, quod Officiales ante omnes alios Electores assumpserint Principes reliqui.

§. 4.

Sed an pluribus annexum fuit jus eligendi.

In Electione discordi Ludovici Bavari & Friderici Austriaci Rudolphus & Ludovicus fratres Duces Bavariæ, Palatiniq; Rheni ambo electionis partes sustinuerunt: *Cuspin. de divis. Imp.* ob duos compet. facta, Sic & Rudolphus Dux Saxoniæ, qui elegisse dicebatur, non potuit, sed Dux inferioris Saxoniæ Ericus advocandus erat. *Cranz. l. 9. c. 8.* Sic Guntheri quoq; electioni Dux Bavariæ Rudolphus consentiente fratre Ruperto assensum suum præbuit. *Cuspinian. in vit. Gunth.* Sic & à Ludovico Bavaro Imp. cum Rudolphi filiis alternativa inter utramq; Palatinam nimirum & Bavaram domū concludebatur *Avent. l. 7. annal.*

quod & de Erico & Rudolpho Saxoniæ Ducibus testatur *Cranzius l. 12. c. 4. in Saxon.* Sæpiusq; hinc dissidia inter familias oriebantur, usque dum Carolus IV. perpetua & valitura lege sanciret, competere jus & vocem Electionis Electoribus Secularibus, vigore Possessionis & Principatus, à quo nec divelli possit. *A. B. Caroli IV. tit. 20.*

§. 5.

Qui diætis Imperialib. cohabitaverint.

Carolus M. ut solenne Francis fuit, Conventū Imperii ad Aquas Graneas celebrat, indicto Conventu PRINCIPUM *Avent. l. 4. p. 374.* Principum hic sola mentio fit. Ludovicus Pius filius Caroli Conventum Procerū Imperii ad Aquas Graneas cogit. *Avent. l. 4. p. 376.* Notā vocabulū Cogere. Qui Proceres fuerint ex his patet: Ludovicus Pius mense Januario Aquisgrani Proceres, Cives, Sacerdotes coire jubet: *Avent. l 4. p. 381.* Nota, Cives, Sacerdotes. Comparuisse

paruiſſe in Conventibus generalib. tempore Ludovici Pii generalitatē univerſorū Majorū tam Clericorū quàm Laicorum, ex Hincmaro Authore coætaneo Ludovici memorati de ordine Palatii c. 29. patet: Demonſtratque Conringius ex eo in *acroam. Reip. Imp. 1. p. 35.* Civitates tum adfuiſſe, ſed non ad conſilium ordinandum, ſed potius ſuſcipiendum, hoc eſt, quod tum votum deciſivum, quale hodiè habent, nondum habuerint. Simulque Abbates tempore Ludovici Pii, votum Comitiale habuiſſe, refert id *Conring. ex allegato Hincmaro d. l.*

Adjicit tamen quo ad Civitates *Conring. de Rep. acroam. 1. p. 22.* Circa tempora Friderici I. in Rōcaliis, Civitates quasdam comparuiſſe, ſed non Germaniæ, verùm Italiæ Civitates. Fridericus I. Wurzburgi Conventum Epiſcoporum Senatusque Imperii coegit. Coeunt frequentes Archimyſtæ, minores Pōtifices, Præſides, Duces, Præfecti; *Aventin. l. 6. p. 643.*

p.643. Hic nulla adhuc civitatum mentio incidit.

Quales populi.

Sub Ottone I. in conventu Imperii ad Augustam Rhætiæ comparuerunt, Saxonum, Francorum, Suevorum, Bojorum, & Italiæ pleriq; proceres. *Avent. l. 5. p. 496.* Nondum hic Itali, uti moderna ætate, à voto excludebantur. *Quo numero.*

Hic determinatus non legitur, quamvis apud *Avent. annal. l. 4. p. 405.* memoretur, sub Lud. Pio centum & viginti Proceres coiisse.

Vbi.

Hodie quidem certus locus in prima diæta cujusvis Imperatoris ex A. B. Norinberga nimirum, ut & pro diæta Electorali pro eligendo Imperatore ex ead. A. B. Caroli IV. Francofurtum ad Mœnum, ut & ipsa hæc civitas pro Deputatorum Conventu *ex R. I. ann.* 1555. constituitur. Diætæ verò universales certum hodiè locum non habent, ut plurimum autem Ratisbonæ, & si nõ ibi, tamen

tamen in aliqua Civitate Imperiali tenentur. Olim autem non erat sic: Sub Caroli progenie Comitia ut plurimum Francofurti ad Mœnum tenebantur, ubi utraque Galliæ & Germaniæ gens convenit. *Aventin. in annal. l. 4. p. 319.* Plurimi etiam Wormatiæ habebantur conventus. *Avent. l. 4. p. 325.* Nec solùm in Civitatibus, sed & ruri & in villis congregabantur. Ut ad Fontes Luppiæ Carolus M. conventum tenuit: *Aventin. l. 4. p. 326.* Sic & Triburiæ (vicus est in agro Moguntino Rheniq; ripa) diætæ habebantur *Avent. l. 4. p. 478.* Et prope Placentiam in Campo Fridericus I. suas Roncalias tenuit, ut *ex lib. Feudorum 2. t. 52.* elucet.

Quo tempore.

Carolus Mense Majo, uti tum solenne Francis fuit, cõsilium totius Regni Wormatiam indicit *Avent. l. 4. p. 326.* quod ordinarium fuisse Imperatoribus observat *Id. l. 4. p 382.* licet ipse *Avent. l. 4. p. 381.* adjiciat, Lu-

Ludovicum Pium Menſe Januario indixiſſe diætam *Avent. a. l. p. 381.* Sed prior ſententia prævalet: Sic Sigebertus Gemblacenſis ad ann. *662.* Tempus erat Regibus Calendis Maji præſidere coram tota gente, ſalutare & ſalutari, obſequia & dona accipere. Quod & *Avent. l. 4. p. 382.* hiſce approbat: Solenne fuit Imperatoribus quotannis concilia agere, præcipuè Menſe Majo, ubi à ſingulis exactum juramentum, ſe poteſtate Principis futuros. Nec ſtabant comparentes, ſed ſedebant: ita ſub Friderico I. *Aventin. l. 6. p. 647.* ibi atq; ubi conſediſſent. Quod adhuc fit.

§. 6.

Duo Conclavia.

Fuerunt, in uno Electores & Principes Eccleſiaſtici & ſeculares cum Comitibus & Baronibus; In altero civitates liberæ conſultabant: Sub Friderico III. Imp. diſceſſerunt primum Electores à Principibus; Idq; ex Lehemanno probat Arumæus de Comitiis *c. 4. n. 30.* Hinc tria con-

conclavia, unum Electorum, alterum Principum Ecclesiasticorum & secularium, Prælatorum & Comitum, tertium liberarum Imp. civitatum. In deputatis verò non nisi duo, Electorum, & Principum, sedentq; cum his Civitates.

Cap. II.

Prima Mentio Principum

Fit ab ævo Caroli M. Principis Witekindi, qui vulgò Rex appellatur Saxoniæ, & ab *Aventino l. 4. p. 319.* Nobilissimus & ditissimus Princeps appellatur:

Circa idem tempus memoratur quidam Franconiæ Princeps, cujus filiam Fastradam Carolus uxorem duxit *d. l.*

Sub Ludovico Pio adducit *Avent. l. 4. p. 423. Wernherum Francorum* Satrapam. *Sub Ludovico Arnulphi* filio mentio incidit Conradi Hessorum Præsidis & ejus fratris Gebhardi in pago Franciæ antiquæ, vulgò die Wetterau *Aventin. l. 4. p. 478.*

item

item Conradi Ducis Moſellæ, quem titulum Dux Bullionenſis per aliquod tempus poſtea tulit.

§. 1.

Dignitates Principum quo tempore hæreditariæ factæ ſint.

Sub Francorum imperio adhuc perſonales erant, moriebanturque cum perſona: Sic tum pro lubitu Cæſares conſtituebant & deſtituebãt Principes, quos ex adultis liberis deſumebant. Sic & maxima officia ſæpius vilioris conditionis hominibus concredebant. Uti Carolus M. præfecturam inter Rhenum & Alpes dederat, *Aventin. l. 4. p. 365.* Et Ludovicus Pius multitudinem Principum ut ſibi periculoſam diminuere ſtatuebat, *Avent. l. 4. p. 376.* Adeo liberè de conditione Principis tum diſponebatur. Nec ſolum uti communis eſt opinio, Principum dignitates perpetuæ & hereditariæ ſub Henrico I. factæ ſunt, cum & poſt illius Imperium ſub Ottone I. Imp.

Imp. Ducatus Bavariæ inter primarios Alemaniæ nondum hereditarius fuerit: Ita *Aventin. l.4. p.489.* Berchtoldus patruus Ducum Bavatiæ, Ottonis Regis sententiam expectandam esse rebatur, morte (Principis) beneficiarii beneficium ad summũ *Principem lege* rediisse: De *his quid* usus Feudorum testentur, vide apud *F.* 1. *t.* 1. §. 1. *&* 2. Ubi quod feuda in filios æqualiter venerint, refertur ad tempora Friderici I. Imp. & collateralium successio ad tempora Conradi III. Imp. rejicitur. Nec enim cum jam feuda hereditaria erant, collaterales succedebant, uti nec post tempora Friderici I. Imp. in feudo novo, nisi *specialiter* à domino feudi dictum erat. *F.1. t.14 §. final.* Nec ad feuda nisi masculi admittebantur, nisi aliud dictum erat. *Feud:* 1. *t.* 8. §. 2. Uti & hodiernis moribus ex feudis Germaniæ Regalibus majoribus Alemaniæ filiæ dotem & nihil amplius ferunt: In Polonia fœminæ

non

non nisi deficientibus masculis ad successionem admittuntur. In Dania succedunt quidem fœminæ in castra & prædia, sed non nisi pro una tertia, ita ut frater duas tertias trahat. In Ungaria in immobilibus plane excluduntur, ita etiam, ut deficientibus masculis succedat Camera Regia exclusis filiabus. In Gallia lege Salica quidem à regno arcentur: Ad quosdam tamen Ducatus & Pariatus admittuntur, & viillorum sententiam in Parlamento dicunt: Tales Pariatus sunt: Nevers, Beaumont le vicohte, Mercaur, Mayenne, Retholois, Joyuse, Elbæuf, Espernon, Aiquillon. Ubi fœminæ in tales succedunt, appellantur Duciſſæ & Pares.

In Germania arcentur ab Electoratibus & potioribus Principatibus & Comitatibus, nisi quod & in quibusdam fœminis jus Successionis competat: V. G. in superiore & inferiore Lusatia, in Regno Bohemiæ, in Comitatu Seinensi &c.

§. 2.

§. 2.

Aquo tempore Principes Regalia & territorialia habeant.

Principum potestas licet hæreditaria, tamen angustis includebatur terminis, usque ad Henrici IV. tempora, ubi Magnatum conditio crevit, tumq; plurimas opes Principes cumulabant *Aventin. l. 5. p. 547.* Sed tamen in eum nitorem, quo hodie corruscat, non nisi in interregno Friderici II. & succedente tempore succrevit, quod exinde colliges, quod ante Friderici II. ætatem, sub Imperio Friderici I. extra vectigal omnia quæ hodie Regalia Principum sunt, tum Regalia & Reservata Cæsaris adhuc fuerint, *F. 1. t. 56.*

§. 3.

Quæ ab antiquo fuerint dignitates Imp.

Dignitates antiquæ erant circa tempora Friderici I. Ducum, Comitum & Marchionum, F. 2. *t.* 17. tumque nulla Archiducum, nulla Burggraviorum, nulla Baronum ad-

adhuc mentio fit, & quod obſervabis, Comites Marchionibus præponuntur. Archiducum familia unica eſt in Germania, & quidem ſereniſſimæ familiæ Auſtriacæ affixa, nec alibi reperitur tale prædicatum, niſi quod anno 959. Bruno Archidux Lotharingiæ à Sigeberto appelletur. Reperiturque in Receſſibus Imperii, patrem Maximiliani I. Fridericum ſimpliciter Ducis titulum geſſiſſe. Memorat *Chiflet. in Hiſp. c.* 14. *p.* 137. Poncium I. Comitem Tholoſanum PRI- Marchionem ſe vocaſſe. Magni Ducatus tres ſunt in Europa; Moſcoviæ, Hetruriæ, & Lithuaniæ, quorum hic annexus eſt Regno Poloniæ: Et Rex Sueciæ ſe Magnum Principem Finlandiæ ſcribit.

Archiduces præcedunt in Germania omnes Archiepiſcopos extra Electores. Ducum, Principum, Comitum Palatinorum, Burgraviorum, Marchionũ tituli & dignitates æquiparantur. Burggraviorum ſpecialis titu-

titulus exolevit, nisi quod aliis annectatur. In Bohemia & Borussia id, sicut in Hungaria Palatini, supremum officium est. Aliàs Marchiones in Italia, Gallia & Anglia, sequuntur Duces & Principes, antecedendo Comites. In Italia tota extra Regnum Neapolitanum Duces Principibus *præeunt*: In regno Neapolitano *Principes* Duces antecedunt, quos Marchiones & hos Comites sequuntur: Nec ibi Baronum mentio est; Quod in illa terræ parte ex usu loquendi Rusticum notat. Nec in Hispania extra Arragoniam cognitum id nomen est: Suntque tantum in Italia, Gallia & Anglia Vice-Comites. Alias Baronum titulus in Germania, Anglia & Gallia receptus est: *In Anglia tamen non habere nisi reditum mille marcarum possidenti licet.* Vocantq; *Chevalliers Barronets.* In Gallia speciale est, quod Momorantiis competit, appellari nimirum Primum Baronem.

*Duces in Hiſpania præcedunt Principes, cum Ducatus titulus cum Grandium prærogativa cohæreat. Sic & in Gallia Ducum dignitas cum Parium dignitate coaluit: Ubi tamen in duplici differentia ſunt: Illi Ducatus qui verificantur in Parlamento Pariſienſi, hæreditarii ſunt, & Parium titulum ducunt. Reliqui ſolum perſonales & absque titulo Paris ſunt. Sunt & in Gallia Duces, qui habent *le pour*, uti vocant, quod eſt tegere in præſentia Regis dantis audientiam peregrino legato, quam primum ubi hic tegit. Alias qui ſimpliciter Princeps appellatur, eſt proximè ſanguine junctus. In Hungaria ſoli Comites ſunt. Suecia, Dania & Polonia olim non niſi Nobilium Dignitatem agnovit, ſed Suecia à tempore Erici XIV. & Dania ſub Friderico III. mod. Rege Comites, & Polonia non multis abhinc annis Principes vidit. In Moſcovia ſunt Gneſii, quod apud nos Duces, & Bojari, quod apud nos Comites ſeu Ba-*

Barones. Ut ad noſtram Germaniam revertar. Sunt & præter dictas dignitates die edle Herren / qualiter ſalutantur Comites Lippæ; Sed ex vulgari uſu medium id eſt inter Baronem & Nobilem: Taliter primogenitus Familiæ Elz ſe ſcribit der edle Herr zu Elz. *Nobiles immediati ex Capitulatione Leopoldi Aug. parificantur* cum Comitibus, qui Status Imperii non ſunt. Huc usque de dignitatibus. Variarunt autem in noſtra Germania formæ Ditionum: Regna in Principatus, ut Bavaria, Principatus in regna, ut Bohemia, Croatia, Dalmatia, Marchionatus in Ducatus ut Auſtria, verſa ſunt.

§. 4.

De Antiquitate Feudi, ut & Primogenitura.

Feuda ante tempora Friderici I. Imp. non memorari, ex uſibus feudorum communis eſt opinio, ſed hæc refellitur ex Conſtitutione Caroli Craſſi Imp. ſuper expeditione

Romana, ubi jam feudi mentio fit. *Marqu. Freher. in dict. Constitut. not.* Primogenitura verò nec ita antiqua in noſtra Germania eſt: Tempore quidem Friderici I. uti adhuc hodie in Gallia & Hiſpania, omnes Ducatus & Comitatus individui erant: *Feud. 2. t. 55. §. 1. ibi, præterea Ducatus, Marchiæ, Comitatus.* Sed aliud eſt, eſſe individuum, aliud jus primogenituræ, cum & individuum multi poſſideant. *F. 2. §. 4. ibi, omnes filii ejus.* Feudum verò primogenituræ non niſi unus. Ante Capetanos in Francia nullum appennagium erat. Caroli M. tempore placebat Daniæ Regnum dividi *Aventin. l. 4. p. 363.* Tempore Ottonis M. Eberhardus ſtatim poſt fata parentis, quod natu maximus erat, principatum in Bojaria occupat & exercet: Arnulphus & Hermannus Fratres minores natu, & ipſi Imperium ambiunt: *Avent. l. 4. p. 489.* Hic prima inter Germaniæ Principes mentio primogenituræ fit: Alias antiquæ familiæ inter ſe æqua-

æqualiter partiebantur, uti adhuc hodie in Dania & Suecia Nobiles consueverunt, diverso ab Anglis exemplo, quorum Nobilium primogeniti soli patrum hæredes sunt, reliquis aliquid pro modo facultatum in alimenta largiendo: Et in Gallia in *maxima Provinciarum* parte *Præciput*, ut vocant, Primogenitis competit, ut plus aliquid quàm reliqui capiant.

Jure Civili nec in totum damnatur illud jus, prout communi opinione Dd. tradunt per *l. inter filios C. famil. ercisc.* Sed in successione militiæ approbatur in *l. fin. C. de fil. offic. lib.* 12.

Commendatur præterea jure sacro 2. *Paralip.* 21. & jure Canonico, *c. licet X. de vot. & vot. redempt.* Cumque faciat ad conservandas familias, Germani nostri aliorum mores æmulati, & jus hoc introduxerunt. Sic Albertus Dux Bavariæ anno 1573. familia Brunsvvicensis anno 1535. Wirtebergica a. 1473.

Hessica anno 1603. & 1627. & omnes penè familiæ Principum Germanorum, exceptis Ducibus Saxoniæ, & Anhaltinis, stabilierunt. *Springsfeld de appennag. c. 3. per tot.* Habentq; Duces Saxoniæ Vinariensis, Altenburgensis, & Gothicæ lineæ, ad formam quasi primogenituræ Directorium, quod vocant, uni nomine fratrum competens.

Cap. III.

De jure quod Fürsten-Recht *vocant.*

QUidam jus illud quod Fürsten-Recht/ appellant, deducunt ex certo quopiam diplomate Sigismundi Imp. exhibito apud *Goldastum in Constit. Imp.* cui an fides adhiberi debeat, non pauci dubitant. Quicquid interea sit, citra dubium est, Antiquos Imperatores adhibuisse in quibusdam causis Principum consilium reliquorũ Imperii Procerum, tam quoad actiones reales, quã personales. Sic Henricus Vitricum suum Hen-

Henricum de prærepto Bavariæ Principatu in jus trahit, sententiæ Imp. Friderici I. amitini sui, decreto Principum se staturum promittit. *Avent. l. 6. p. 633.* Fridericus I. Imp. in Reginoburgo cum Principibus se confert, Henrico Leoni diem dicit, *ibid.* Præterea omnes undique Optimates, *Præfectos, Duces, Præsides, omnes Senatorii* ordinis, quibus jus dicendi sententiam in senatu Cæsareo esse solet, accersit; dumque illi frequentes convenissent, atque uti mos est, CONSEDISSENT, Imp. Henrici facinora memorat, *ibid.* Hæc ubi dicta sunt, Augustus sacramenti admonet, deinde sententias rogat, tum uno ore omnes Henricum læsæ Majestatis condemnant, utroque Ducatu submovendum decernunt, *Aventin. l. 6. p. 647.*

Imp. Henricum filium Cæsarem & successorem à se declaratum, Parricidii accusat, sententiâ septuaginta Principum condemnat, in vincula conjicit, Moguntiaci Conradum

Palestinæ Regem Cæsarem & Successorem declarat. *Avent. l. 7. p. 668.*

Sic & Bernhardus jam tum sub Francorum Imperio, Nepos Imp. Ludovici Italiæ Reg. Procerum sententia, juxta leges Romanas & Salicam, cum sociis omnibus & consciis affectatæ tyrannidis, læsæ Majestatis reus peragitur, capitalique supplicio condemnatur. *Aventin. l. 4. p. 380.*

Albertus Comes Bambergæ sub Ludovico Arnulphi filio, communi Optimatum sententia, manibus post terga revinctis, securi percutitur. *Aventin. l. 4. p. 478.* Sic & Ludovicus dictus Imp. Metis in frequenti Procerum Concilio Gerhardum & Marchofridum proscribit. *Avent. l. 4. p. 479.* Eodemque modo absolutio concedebatur: In frequenti Principum Senatu Godefrido in terram corpus abjicienti non solum ignoscit, sed & Principatum Lotharingicum in tutelam reddit. *Avent. l. 5. p. 531.*

Ho-

Hodiè cum Status Imperii in bannum declaratur, in cognitionis cuam Imperator Electores asciscit, *Capit. Ferdinandi III.* §. 30. *Leopoldi Nostri Invictissimi Augusti* §. 28.

Ubi verò de feudis immediate Imperio subjectis, quæ Fahn- und Scepter-Lehen vocant, cum in hoc dispositio juris feudalis, quæ solum dominum judicare permittit, non mutata sit, quare stare prohibeatur.

§. 13.

De potestate Carcerandi.

Sub Conrado III. Imp. Senatus Principum decreverat, ut abdicatus inferiore Lotharingia Godefridus filium obsidem daret, in liberaque custodia haberet, *Avent. 5. p. 528. ibi, cum pedibus Cæsaris accideret.* Henricus III. Imp. Godefridum eundem Treviros in exilium relegat, & arcta custodia ab Urbis Archimysta servari jubet. *Avent. l. 5. p. 535.*

§. 2.

De antiquo investiendi modo.

Conrado III. Imp. Petrus Ungariæ Rex Regnum Ungariæ cum hasta aurata reddidit, fascesq; regni ad pedes Cæsaris deposuit, *Aventin. l. 5. p. 530.* Ex devestitura cognosces investituram. Sub Friderico I. Welpho, Henrici Bojici patruus; septem Præfecturas, cum signis, uti mos est, Proceribus suis in fidem & tutelam commendavit, *Aventin. l. 6. p. 638.* Hicq; mos cum vexillis investiendi remansit usq; ad tempora Caroli V. à quo Mauritius Elector Saxoniæ eo modo & quidem publice coram omni populo taliter investiebatur. Vide *Sleidanum in historia.* Sed hodie exolevit; Solentque Principes communiter per Legatos investituram accipere. Sive autem ipsi, sive per Legatos compareant, in utroque genu ante Cæsarem procumbunt, & tacto Sacrosancto Evangelio fidelitatem jurãt. Ceremonias exactè descriptas vide ap. *Arumæum de Comit. c. 8. n. 73.*

Ubi

Ubi feudum Regni Bohemiæ accipitur, (quale est Vogtlandiæ pars Electoratus Saxoniæ, *Lundorp. in act.publ.p.(m)* 824.) solum in dextro genu procumbunt. *Arum. d. l.*

Tempore Friderici I. consuetudo curiæ erat, ut regna per gladium, Provinciæ per vexilla reciperentur, *Otto Frising. lib. 2. cap. 5. de reb. gest. Friderici Imp.*

§. 3.

De Officiis.

Distribuebant Imperatores Officia antiquitus pro lubitu, sicut & adhuc citra dubium sub Imperio Francorum omnia personalia erant, & quando officia Electorum secularium inceperint esse hæreditaria, fluctuant authores, nisi quod ex vulgata sententia talem naturam ab ævo Henrici II. Imp. assumpserint, à quo & Officia Archicancellatuum Archiepiscopatibus Ecclesiasticis principalioribus, ut Moguntiaco, Trevirensi & Colonienſi, annexa fuisse, communiter credatur.

Erant autem, prout adhuc sunt, non solum officia Archi Cancellariatus, Pincernæ Dapiferiæque, Marescallatus, Camerariatus, quibus sub Ferdinando III. Imp. accessit Thesaurariatus, sed & aliæ familiæ alia habebant munia hæreditaria. Sic Comites Uracenses, quorum hæredes facti sunt Duces Wirtenbergæ, erant Venatores Imperii, unde adhuc cornu venatorium insignia Wirtenbergica ornat. Comites Spiegelbergenses idem obierant munus, Comites Oldenburgenses fuerunt Architecti & Præfecti aggerum, Comites de Werningroda Piscationum Præpositi constituebantur: *Limnæus tom. 5. Iur. publ. l. 4. c. 7. n. 600. Ego in Iurisprud. publ. in voc. Comit. Oldenburgens.* Concredebant & Cæsares præfecturam Civitatum confidentioribus ministris, neque hæ ab omni antiquitate, sicut hodie, electioni Senatus permittebantur. Et quidem

quod

quod præfecturas Civitatum attinet, Reichs-Voigteyen und Schultheissig Ampt / illas demum Senatus electioni concreditas post tempora Henrici IV. Imp. fuisse, communis ex *Lehemanni Chron. Spirensi* opinio est. Olim sub Ottonibus in Civitatibus Episcopalibus *talem administrationem locorum* Episcopis Imperatoriæ concessiones tribuebant. *Leheman. Chron. Spirens. l. 4. c. 3. Author discurs.* Ob die Reichs-Voigteyen bey den Reichs-Städten wiederanzurichten / qui est *Dan. Heiders Syndicus Lindavienſis (Knipschild. de Civitat. l. 5. c. 3. n. 7.) fol.* 88. Dabantur postea Comitibus, Baronibus, Nobilibus, partim titulo Personatus, partim jure feudi, partim *jure pignoris.* Sic jure Personatus Comites Otingenses, Castellenses, Helffenstenii, Kirchbergenses, Teccenses, Hohenbergensis, Augustanæ Civitatis præfecturam obierunt. *Chron. August. p. 2. c. 6. fol.* 89. & 91. Habebant Comites Dillingenses

advocatiam Francofurti ad Mœnum, *Brusch. de Monast. rubr. Neresh.* Seleſtadii, Nobiles Waffeler de Erkerich, & poſtea de Boxheim Imperiales Vogti erant. *Beat. Rhenan. rer. German. l. 3. rubr. Seleſtadium.* Jure Feudi Imperialis & hæreditario hodie Roshemii in Alſatia præfecturam Rumelinorum familia poſſidet, *Knipſchild de Civit. l. 5. c. 3. n. 41.* Antehac Lindavii Vogtiam Patricii de Budeſcher jure pignoris obtinebant, antequam Civitati competeret, *Auth.* Ob die Reichs-Voigteyen *fol.* 87. Antiquæ Præfecturæ Imperialis veſtigia adhuc Northuſii apparent, ubi Comites de Hohenſtein nomine Imperii criminum executionem exercent. *Wehner. verb.* Reichs-Voigtey *fol.* 654.

Et Weiſenburgi Imperii præfectus adhuc hodie in cauſis criminalib. nomine Imperatoris & Imperii executorem agit. *Munſter. Coſmogr. l. 3. c. 68. fol.* 675.

Anti-

Antiquitus non solum criminalibus sed & civilibus præsidendo führeten den Justiz-Stab / se regimini Civitatis non immiscebant. *Knipsch. de Civit. l. 5. c. 3 n. 21. & seqq.* Aliquando collectarũ, monetarum, vectigalium, & similium jurium fiscalium administrationem gerẽtes, *Knipsch. l. 5. c. 3. n. 20.* Salarii nomine aliquid ex mulctis trahebant, & hodierno tempore penes Civitatis Schwinfurtensis Advocatiam pro emolumento residet, die Burgmarckung / Gericht / Zoll / Zehend und andere Nutzungen / *Knipsch. d. l.* Quod autem te notare velim Advocatiam distingui à Scultetatus officio, quod ex quodam Privilegio à Richardo Romanorum Rege Civitati *Francofurtensi* dato didici, ibi ita: *Advocatia per Fridericum olim* Imperatorem de consensu omnium Principum deposita, permaneat, ut nunc est, fructibus advocatiæ ipsius Scultetatus officio deputandis, *Priv. Civit. Francof. p. 8.*

Ca-

CAPUT IV.

De Episcopis.

Vbi hodie receptum sit nomen Episcopatus.

PEr totam Christianæ fidei machinam ferè Episcopatus dignitas recepta est, inter Catholicos, Græcos, Lutheranos, Calvinistas: De Catholicis & Græcis certum est. Lutherani in Dania & Suecia suos alunt. Reformati quidem in Anglia, sed non alibi illos habent. Ultrà & Arminiani nomen illud non amant, sed supremi Præfecti titulo id indigitant.

§. 1.

De antiquitate Episcopalis nominis in Germania.

Cruda res erat in Germania usq; ad Bonifacium Episcopum Mog. & Apostolum Germaniæ, ille Frisiam, tractum Rheni, Thuringiam & Hessiam fide imbuebat: Hinc ex diplomate Zachariæ Pontificis sub Bonifacio Moguntia Archiepiscopis Mo-

Moguntinis in metropolim concessa est, habens sub se Civitates, Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiram, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes: Datum illud diploma est, indictione tertia, imperante Domino Constantino *Baron. annal. ecclesiastic. tom. 9. ann. 751. n. 14. & 15.* In seculo quarto Ecclesiæ Coloniæ *Agripp.* Augustæ Trevirorum, Nemetum, Vangionum, Argentinensium, Mediomatricum, Ambianorum, Rauracorum & Tungrorum suos habuere Episcopos, demonstrante *Conringio in Republica Imperii Acroamat. 5. p. 124.*

§. 2.

An antiquitus fuerint Principes, sicut hodiè in Alemania.

Tempore Caroli M. Sacerdotes paucis, victu, vestitu levi, parabili ac parco ad naturæ desideria implenda contenti fuerunt, decimis victitarunt, de quibus nemini quicquam contribuerunt. *Aventin. annal. Bavar. l. 4. p. 366.* At nunc misera est con-

conditio, cunctis opibus Imperii (inquit d. autor & quidem iniquè) prædiisque regiis, Episcopi, Duces, Tetrarchæ, Dynastæ, incubant. *Aventin. l. 4. p. 366.* & quidem Carolus M. opes Ecclesiasticas in locupletioribus templis in tres diviserat partes, duas egenis, tertiam Sacerdotibus attribuit: *Avent. annal. l. 4. p. 368.*

Sub Ottone Primo Imp. Episcopi primum bonis secularibus ditari ceperunt. Ille Brunonem fratrem Agrippinensibus, quorum Episcopus tum obierat, Pontificem Lotharingis dat Præsidem: *Avent. l. 5. p. 497.* Ille Bruno primus Episcoporum fretus fratris Augusti authoritate Reipublicæ munia obire cœpit: *Avent. l. 5. p. 503.*

Monachos autem primus Henricus II. Imp. ditavit, & ipsis venationem, *distinct. 86. c. 8. 9. 10. & 11.* tam quoad venationem, quàm quoad donationem venatoribus faciendã (tam exosa ars est) *& c. 1. 2. extr. de cleric. venat.* prohibitam, indulsit: *Avent. l. 5. p. 507.* Co-

Colonia inprimis (quæ inter Electoratus Ecclesiasticos ditissima est) ex Godefridi Ducis Lotharingici exilio maximè crevit, quod hisce indicat d. *Aventin. l.* 5. Ibi Godefrido ab exilio revocato, quædam prædia stipendiaria Archimystã Agrippinensem reddere præcipit. *Avent. lib.* 5. *p.* 536. Primus inter Principes Imperii suæ terræ ab Henrico Saxonum Imp. Dux Bojariæ CURATOR, & Patronus Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum esse jubetur. *Avent. l.* 4. *p.* 486. Hinc in Germania inter Principes *Advocatia* Episcopatuum & Monasteriorum, vulgò Casten Vogtey. Constituebantur tales cum libera licentia defendendi & administrandi Ecclesias, *reditus percipiendi*, & de perceptis & erogatis *rationes reddendi*, idque usque ad Fridericum II. Imp. testante *Lehmann. Chron. Spirens. l.* 2. *c.* 36. *Mager. de advoc. armat. c.* 5. *n.* 338. *& seq.* Imò Imperatores à Carolo M. usque ad Ottonem IV. in Epi-

Episcopatibus & Monasteriis hoc jus obtinuisse docet *Lehman. Chr. Spir. l. 5. c. 67.* quod Episcoporum & Abbatum mortuorum mobilia & moventia ad se traxerint.

§ 3.

Quomodo & à quo constituti fuerint Episcopi.

Antistites ita olim ab Impp. constituebantur, ut cum Præses templi diem obierat, Collegium Imperatori lituum cum annulo miserit, cui ea tum rursus Imperator solenni ritu tradebat, is fani ejusdem Rector designatus erat, idque à Carolo M. usque ad Henrici IV. Imperium observatum legimus: *Aventin. l. 4 p. 322.* ita ut tum electio plenè penes Imperatores & non apud Canonicos, uti hodiè, residerit. Nec concordat illi, quod Goldmajerus *in descriptione sua Historico-Astronomica* ponit, Herbipolim nimirum anno 942. ab Ottone I. Imp. accepisse privilegium, ut Capitulum eligat præsulem, quod anteà Imperatorum erat.

erat. Inquit *Aventin. l. 7. an. p. 670.* Sacerdotia atque Pontificatus fuerunt primum beneficia Cæsarum & Imperatorum, & Principum Bojariæ, deinde ab Henrici V. Imp. tempore comitiis calatis atque curiatis, viritim suffragiis latis, lectos communiter à *populo, Sacerdotibusque universis, demum Friderici II. Imp. ætate*, excluso populo cæterisque sacrificulis, duntaxat à Mystis imponebantur Pontifices; *Avent. l. 7. annal p. 670.* Dictusq; Fridericus II. tanta immunitate Sacerdotes donavit, ut eâ mox adversus eum abusi fuerint Romanenses, ait *Aventin. l. 7. p. 671.*

Hodiè à suis Capitulis in Germania eliguntur Episcopi.

Distinguunturque Canonici in Capitulares & simpliciter Canonicos. Nullus recipitur nisi octo anus, ut vocant, ex utroque tam paterno quam materno latere, ad minimum demonstrare valeat, nisi quod in qui-

quibusdam Episcopatibus pro determinato numero etiam Doctores admittantur.

Nobilitas nec dum Gregorii Noni Papæ tempore adhuc requisitum erat, *ex c. venerabilis frater. exsr. de præbend.* quod posteà in contrarium morem abiit. Nec solum anno 800. nondum Capitulum ad Nobilitatem restringebatur, sed adhuc regulare erat, quæ post illa tempora in plerisque Germaniæ Ecclesiis secu lare esse cœpit. Ut & Episcoporum munus erat usque ad Ottonis Primi Imp. ætatem sacras literas docere. *Aventinus lib. annal. p. 503.*

Ex Concilio Tridentino in Canonico Ecclesiæ Cathedralis requiruntur 1. honesti natales 2. qualitas Doctoratus, Licentiatus, sive sufficientis institutionis. *Conc. Trident. sess. 22. c. 2.* 3. in dignitatibus curatis ætas vigesimi quinti anni, in reliquis vigesimi secundi, & quidem ATTACTI. *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.* §. 4.

§. 4.

Qui Pontifices legerint.

Ui antiquitus Imperatores Episcopos, ita & Papas constituerunt, sed potius confirmando quàm legendo: Pontificem Maximum ante Populus Romanus (inquit *Aventin. l. 4. p. 379.*) creabat, Augustus author fiebat: *Illum nunc Flamines* (Cardinales per duas partes Collegii) lege â se lata exclusis cæteris sufficiunt. Jus Canonicum *distinct. 63.* electionem Pontificum ascribit potestati Imperatoris, *Hadrianus item cap. in Synodo*, asserendo, quod Clerus & Populus Pontificis electioni interfuerint. *distinct. 63. c. quantò.* Ut & quod in electione Episcoporum Principis desideretur assensus *c. cum longè d. dist. 63.* Hinc Otto I. Imperator Romam in ditionem cogebat, Proceres, plebem, Sacrificos jurisjurandi religione adegit, nullũ Pontificem maximũ capturos absq; consensu Augusti, & Ottonis Cæsaris filii sui. *Avent. l. 5. p. 501.* Sic

cum

cum ab universo populo Romano Johannes Decimus Tertius legeretur, Johanni abdicato Leonem Octavum Imp. surrogat, *Avent. l. 5. p. d.* Et adhuc Henricus III. Imperator Sacerdotes, Flamines, Senatum, Populumque Romanum, *nullum posthac Pontificem Maximum capturos, nisi quem Cæsares more majorũ legissent, jurare adigit. Avent. l. 5. p. 533.* Et hinc est, quod in diplomatibus & Bullis suis Papæ semper numerum Regiminis Cæsarei, non proprii, prout hodiè, annotaverint: Sicut ex diplomatibus Zachariæ videbis. Usque dum sub Friderico II. Imp. Pontifices authoritatem Imperatoris spreverint, ubi plenius jus quoad omnia assumserunt; quod Romani ad tempora Ludovici I. & quidem contra fidem historiæ referunt, *in c. Ego, dist. 63.*

§. 5.

An & Pontificatus Germanos admittat.

Certa quidem lege non excluduntur

duntur Germani, sed moderna consuetudine, quæ possessionem suffragii Pontificii plerunque Romanis & Hetruscis, aut ut plurimum toti Italicæ nationi addixit, cæteros spernunt. Sed olim non erat sic. Ex Germanis ultimus fuit Hadrianus septimus tempore Caroli V. Imp. Ante illum, & quidé ab Ottone II. Imp. legebatur Bruno perquam doctus Sacerdos, nepos Conr. Franci, pronepos ex filia Lutig. Imp. Ottonis M. Gregorius V. vocatus. *Avent. l. 5. p. 509.* Hunc Saxonem appellant, qui natione Francus est, cum sequatur conditionem Patris. Deinde sub Henricorum Imperio anno 1047. Clemens II. anteà Suidbergus Bambergensis Episcopus, genere Saxo; *Anno 1048.* Poppo Sabonæ Episcopus Noricorum, vir sapiens & studiosus declaratur, Damasque secundus nominatus. Leonem vulgò Lotharingum, aliàs Alsatum, propriè ex Comitum Leining. Daxburg. familia ortum ann. 1049. & Victorem

ctorem juxta *Chr. VVirtenb. VValzii* ex Comitibus Calvvæ in Suevia ortum an. 1055. fuisse reperies. Vide *Avent. l. 5. p. 509. & seqq. it. p. 533.*

§. 6.

Quomodo antiquitus Pontifices nominati fuerint.

Antiquitus & quidem Stephanus IV. non aliter ab Aventino aliàs optimo Catholico, qui usque ad annum 1460. scripsit, quàm Primarius Urbis Romæ Sacerdos appellabatur: Quo titulo & Leo Septimus indigitatur: *Avent. l. 4. p. 378. & 490.*

§. 7.

De differentia inter Episcopos Imperii, & aliorum Regnorum.

In Germania Archiepiscopi, Episcopi, Magistri Ordinis Teutonici & in Alemania Maltensis, Abbates & Prælati, immediati Status Imperii sunt, votum & sessionem habent in Comitiis, cum hac differentia tamẽ ut Prælati non nisi duobus votis in universum fruantur, reliqui singulariter singula habeant. In Gallia,

Hispa-

Hiſpania, Anglia, Polonia, Suecia & Dania vocantur & cum aliis Statibus ad communes regni cõſultationes. In Gallia vocantur *conſeillers d' eſtat & privè*, ſine tamen reali ſeſſione & voto, niſi ad placitum Regis. In *Hiſpania* Epiſcopi ſunt membra ſecretioris *conſilii, honorantur titulo* Don, *& epitheto* Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi: In Polonia ſunt Regni Senatores. Et in antiquo ſeculo in Suecia majora officia obibant, ut & Epiſcopus Upſaliæ Primas Sueciæ antiquitus ſalutabatur. *Sed illi hodiè percipiendis decimis* & diſtribuendis Sacramentis contenti vivunt. In Anglia membra ſunt Parlamenti & Cameræ altæ. In Germania eliguntur ex capitulo & à *Capitulo, â quo in majore parte ex* Nobilib. *conſtituitur, uti* & in Polonia, ubi Rex ex Capitulo Epiſcopos conſtituit. In Hiſpania Rex præſentat, Papa ordinat. In Gallia Rex ordinat & conſtituit, Papa confirmat.

Nullibi tantam jurisdictionis amplitudinem habent, sicut in Germania, ubi & jurisdictionem omnimodam territorialem & spiritualem exercent. In Hispania primo secularem Philippus II. R. H. & in Suecia Gustavus primus illis ademit. In Gallia magnos quidem reditus habent, sed ordinariam Episcopalem potestatem non transgrediuntur, Omnes Episcoporum annui reditus in Gallia usque ad trecentos & viginti milliones librarum Gallicarum ascendunt. In Polonia duas partes Regni habent, & aliqui integros Principatus possident, ut Episcopus Cracovienſis Ducatum Severiensem, & Episcopus Ploscenſis Ploscēse territorium possidet; in Germania aliqui speciales, secularium dignitatum titulos habent: Uti Episcopus Argentoratenſis titulo Landgravii Alsatiæ, Episcopus Herbipolenſis nomine Ducis Franconiæ (quod tamen Marchiones Brandeburgēnses illi non tribuunt) Episcopus

pus Constantiensis dignitate Baronis Reichenavensis, Episcopus Monasteriensis Burggraviatus Stromburgensis splendore, ratione cujus particulare in Comitiis votum prætendit, & Archiepiscopus Cameracensis titulaturâ Ducis Cameracesii, & Comitis Cameracesii, S.R.I. Principis fruitur, qui ultimus licet Archiepiscopus sit, inter Episcopos tamen constituitur, ut ex Recessibus Imp. elucet. Inter Pares Ecclesiasticos Galliæ tres Duces & tres Comites se scribunt. In Dania ordinario titulo contenti, dimidiam decimarum percipiunt, alteram Rex trahit. In Anglia opimis reditibus gaudent, oneranturque annuis pensionibus, uni ex Curia solvendis.

Cap. V.

De Antiqua Collecta Imperiali.

CEnsum Königs-Steuer und Fahn-Lehen/hodiè vocant, quo

antiquitus tempore Caroli M. quin-
que denarios, modiũ frumẽti quot-
annis pensitabat. Is qui militiam
detrectabat, morbo aut senectute,
æs illud mulctitium militareq; pen-
debat: Nam munia bellica Carolus
M. censumq; accuratè exegit, quem
Germanicis vocabulis Herischild-
dam & Heribannum ab exercitu,
vulgò Reise-Geld / & expeditione
nũcupant. *Avent. an. l. 4. p. 366.* à quo
collectandi modo posteà expeditio
Romana originẽ traxit. Dabantque
Principes tum temporis non solum
Herischildam, sed & annuum ve-
ctigal; Sic Duci Beneventano grave
tributum deprecanti, inopiam &
mediocritatem rei familiaris excu-
santi annuum vectigal diminutum
sub Ludovico Pio Imp. anteà vice-
na quina millia nummûm, quos
solidos vocabant, fisco reddebat,
posteà jubebatur septena duntaxat
millia pendere. *Avent. lib. 4. p. 377.*
Licet occidentales & orientales
Francos suis Regibus nullum tribu-
tum

tum & censum pependisse, sed sola annua dativa dedisse memoret *Conring de Imp. urbib. acroà* 2. *p.* 44. Sicut Saxones Pipino anno 758. honoris causa quotannis trecentos equos ad generalem Conventum pro munere dederunt. *Alb. Cranz. l.* 1. *Saxon. c.* 31. Et urbium *incolas* primum vectigalia & *tributa in* Germania dedisse, adducit *Conring acroam. Reip. Imp.* 2. *p.* 47. Sub Ottone primo Imp. mentio fit capitationis : Tum Berengarius Rex Longobardorum ab omnibus tàm sacris quàm prophanis censum capitis i. e. nummũ pro capite exegit. *Aventin. l.* 5. *p.* 496.

Sub Friderico I. Lycatiorum Præfectus prædia stipendiaria principalem servitutem, quam cives atque Nobilitas interceperat, repetit & vindicat. *Aventin. l.* 6. *p.* 638. Et sub eodẽ Imp. mentio fit in Feudorum usibus F. 1. *t.* 10. Ut & apud *Guntherum l.* 8. vectigalis, fodri & census, quæ ibi inter Regalia

ponuntur. Vectigal dirigitur ad merces, fodrum ad servitia personalia, census ad bona fructificantia: Vulgò die Schatzung. Sub Friderico II. Imp. in certis illis concessis privilegiis Teutonico ordini memoria incidit incogniti cujusdã tributi, *Plateatici* nimirum & Falangatici, illudque puto esse Pflaster/ hoc Deixel-Geld/ quod ex Privilegiis Cæsareis in quibusdam Civitatibus Imperialibus exigitur.

Ante Friderici I. tempora adhuc Reges aliorum populorum Germaniæ tributarii erant, & hinc est, quod ante illa tempora minus Germani collectis premerentur. Henrico III. Imp. tributum & dona Cæsare digna Vratislaus Bohemiæ, Zemizlo Pomeranorum, & Cathmarus Polonorum Regulus dabant *Avent. l.* 5. *p.* 531. Primus qui inter Impp. privatis opibus, peculio & ære proprio ac censu suo Remp. administravit, Ludovicus Bavarus fuit, tenuitate fisci, & inopia ærarii, ad pacem

cem retinendam compulsus. *Avent. l.7.p.788.*

Quales hodiè Imperatoris præter extraordinarias contributiones ex provinciis hæreditariis sint reditus, exhibet *Descriptio Status Ferdinandi II. Regiminis cap.6.*

CAPUT VI.
De Antiquis Iudiciis.

APud Germanos Cisrhenanos, qui in Gallia Belgica & Celtica habitant, juridici Conventus à Carolo M. instituebantur: Ut Vesontinus, Moguntinus, Trevirensis, Agrippinensis & Cameracensis, *Avent. l.4. p.367.* In tractu verò Transrhenano Regium Prætorium sub *Ludovico Pio Imp. in Saxonica* terra Salsæ erat. *Avent. annal. l.4. p. 405.* Hodiè suprema judicia sunt in Germania: Judicium Aulicum & Spirense: Utrumque habet concurrentiam jurisdictionis per prævention̄, extra quod illud cognoscere

de feudis regalibus, de vectigalibus, & danda absolutione à banno decernere possit, quæ jura Camera Imperialis non exercet. Aulicum constituitur & sustentatur ex utriusque religionis personis, partim Nobilibus partim Doctoribus : Spirense partim ab Imp. partim à Statibus Imperii per Electores & Circulos ad hanc nominationem computatis ex pari utriusque religionis numero ordinatur, & à Statibus Imperii Salarium cuivis Statui pro quota assignatum ordinatur. Utrumque judicat sine appellatione. In utroque revisorium obtinet. Utrumque ab Electore Moguntino visitatur, nisi quod ab eodem adhibitis deputatis Statuum, qui describuntur in fine Recessus Imp. ann. 1654. Spirense visitetur. Revisorem Spirensis judicii agit El. Moguntinus, autubi hic litis particeps est, El. Trevirensis: Judicii Aulici revisiones expediuntur à Consiliariis Aulicis, diversis ab illis, qui sententiam tulerunt, petiturque

que revisio per formam supplicationis ad Cæsarem.

Vetustum Germaniæ judicium est Rotvvilense, antiquius judicio Cameræ; Hoc Maximilianus I. Imp. illud Conradus III. fundavit, & officium Judicis *Comitibus de Sulz in feudum masculeum dedit. Sed nec supremum est*, cum appellationem *ad suprema judicia admittat*: Nec universaliter judicat, sed suis provinciis includitur. Jurisdictionem autem exercet ex Rotvvila usque ad montes superioris Alsatiæ, à *montib. his per tractum Rheni usq; ad Coloniam*: Et ab altera parte Rheni usq; ad Francofurtū, per totam Franconiam, usq; ad Sylvam Thuringicam: *Per Franconiam & Schvvinfurtum usq; ad Bavariam, & à parte Rotvvilæ per Bavariam usq; ad* Augustam Vindelicorum cis Licum, juxta Alpes per omne quod ibi sub Imperio Romano est, & ab extremitatibus Helvetiæ usq; ad Bruntrutū & Montis peligardum & retrorsum usq; ad

montes superioris Alsatiæ Hoffgerichts-Ordnung. p2.t.1. In illis terris verò excipiuntur à jurisdictione 1. Elector Trevirensis. 2. El. Palatin. 3. El. & domus Saxonica, 4. Episcopus Bambergensis. 5. Episcopus Argentinensis, 6. Archiducalis Austriaca familia, 7. Dux Juliaci, 8. Dux Lotharingiæ, 9. Domus Brandeburgica, 10. Comes Palat. Bipontinus, 11. Abbas S. Blasii in sylva Hercynia, 12. Prælatus S. Crucis Augustæ, 13. Abbas Vingardiensis, 14. Comes inferioris Isenburgi & Eisennaviæ. 15. Comes Manderschid und Blanckenheim / 16. Comes Sultz / 17. Barones von Schwenden / 18. Comites Fugger / 19. Civit. Augspurg / 20. Nürnberg / 21. Windsheim: Exceptis Ehehafften / quæ qualia sint, vide apud *VVehnerum in Observ. voce* Ehehafften.

Sunt & alia judicia certarum provinciarum, ut 1. Das Käyserliche Landgericht Hertzogthumbs Francken zu Würtzburg / 2. Käyserlich

lich Landgericht Burggraffsthumb Nürnbergs zu Onolzbach. 3. Das Käyserliche Landgericht auff der Stuben zu Hagenau. 4. Das Königliche Landgericht zu Weingarden: Ab his immediatè ad Judicium aulicum seu Spirense appellatur, excepto judicio Franconiæ, à quo ad *Episcopum provocatur.*

Judiciũ Westph. das Westphälisch Gericht/ abrogatum est, quod quale fuerit, vide apud *VVehnerum quæst. controvers. c. 8. n. 3.*

Sunt & judicia appellationum, constituta plerumque *in ditionibus* illorum Principum, à quibus non appellatur: Ut 1. in terris Imperii, quas Rex Sueciæ in feudum *Imperii* possidet, 2. in terris Ducis Sabaudiæ, 3. *in terris domus Saxoniæ*, 4. *in terris Electoris* Brandeburgensis, 5. *in terris* Ducis Wirtenbergiæ, ubi tamen hæc est differentia, ut forensis appellare queat, idq, etiam indigenæ competat, ubi cum forensi litigat.

§. 1.

Forum Optionis.

Habent 1. Rex Sueciæ, ut intra tres menſes à die litis denunciatæ eligere Conventus poſſit ratione terrarum & feudorum Imperii, an coram Camera Imperiali, vel judicio Cæſareo reſpondere velit. *Inſtrum. pac. Succ. art.* 10. §. *econtra*, 2. ad duos menſes competere Brunſuicenſi familiæ, teſtatur *Limnæus tom.* 5. *l.* 5. *c.* 6.

CAP. VII.

De Quanto cenſus in antiquitate practicati.

VT ſcias differentiam noſtri & antiquioris ſeculi: Hodiè ex communi Germaniæ uſu omnia quæ fructum ferunt, ſive immobilia ſive mobilia in cenſum cadunt: Antiquitus verò & quidem ſub Imperio Alexandri Severi Imp. teſtante Ulpiano in *l. forma.* §. 6. 7. *& per tot.* in cenſum non referebantur, niſi agri

agri & fundi, ut & portus, salinæ, lacus piscatorii & Servi : Taliterque censebantur, ut censitores describerent nomen fundi, in qua Civitate, in quo pago, quos duos vicinos proximos habeat, & in arvum, quod in decem annos proximos satum erit, quod jugerum sit: Vinea, quot vites habeat, olivæ quot jugerum, & sylvas cæduas eodem modo æstimet. Et si diminuebatur, census relevabatur *l. forma §. 1. ff. de censib. l. 2. C. de alluv.* ita tamen ut alluvionis incrementum non censeretur. In Gall exigitur *Talle & Tallon* de omnibi bonis cujuscunque naturæ, exceptis provinciis Linguadocæ & Provinciæ, ubi sola immobilia illi collectæ subsunt. Nec Taliæ alii quã cives & rustici subsunt: vulgò *roturiers*: Reliqui Ecclesiastici nimirum & Nobiles ab hoc onere exemptionem habent, ut & Commensales & domestici Regis, Reginæ; fratrum Regis, Officiales Parlamentorum & Se-

& Secretarii Regis. *Besongne en l'estat de France chap. 8.*

Quantum verò census in jure Romano descriptum non est, sed præsumitur octavam partem non transiliisse, cum & in vectigalibus octava pars pretii exigeretur; *l. à legatis C. de vectigal. & l. præced. 7. eodem tit.* Hodiè vulgariter in centum florenos summæ capitalis ponitur pretium viginti crucigerorum, & in quibusdã locis triginta. Tempore Caroli Crassi Imp. pro expeditione Romana omnes vasalli, qui quinq; mansos (mansus est terra, quæ bigis aratur) in beneficio possidebant, Domino terræ, in qua siti erant mansi, benniã (h.e. loricam sive halspergam, uti exantiquo vocabulo sonat) cum uno scutifero, seu scutario ducebant. Et singuli buringi (h.e. coloni, rustici) decem solidos (h.e. quadraginta denarios) cum duodecim funibus canabis, & insuper sumarum (ita vocantur afini in Italia,

sed

sed hic sonat equum clitellarium) cum capistro pendebant, quem si domini volebant, ipsi ad primam navalem aquam usq; perducebant: Mansionarius (h. e. qui mansum dimidium habet) quinque solidos: Absarius (quid sit, incognitum est) triginta denarios, Bunasarius (h. e. superficiem possidens) quindecim denarios, quorumlibet larium possessores, h. e. pro singulis focis sex denarios supplebant. *Marqu. Freher in expedit. Rom. Caroli Imp.*

Hic in antiquitate notatur 1. quod ex jure Romano etiam servos quoad ætatem, nationem, & officia descripserint censitores, *l. formæ §. 6. ff. de cens.*

A quo mutuati sunt Hollandi institutum suum, vi cujus singuli heri famulorumque nomine florenum quotannis pendunt, *Stat. fœderat. Belgii c. 12. §. 28.*

2. Observatur in expeditione Crassi, quod tùm census Caminorum in usu fuerit, quod apud Bata-

Batavos summa urgente necessitate, extra ordinem in singulos caminos, extra tectum eminentes, indicitur, & apud Neapolitanos ordinarium tributum est; ubi in singulas domos (quod appellant focos, non à numero focorum, sed unam domum unum focum computant) quadraginta quinq; granos (faciunt autem decem grana ferè tres bacios nostræ monetæ) pendunt,

In nostra Germania nullum magis ab omni antiquitate consuetum est tributum, quam quod in mansos & hobas imponitur. Mansus aratur bigis, hoba seu curtis quadrigis, *Avent. l. 7. p. 735.* quamvis hæc duo confundantur in *Feud. l. 1. tit. 4. Si de investit. feud. controv. §. si quis de manso.* Hobam sexaginta, mansum triginta assibus onerabant tempore Alberti I. Imp. *Aventin. l. 7. p. 735.* Æs etiam ungularium antiquitati cognitum erat, quod hodiè ferè exolevit. Sic ævo Ludovici Bavari Imp. equus sex & triginta, bos viginti, peco-

pecora, ovis, capra, sues octo assibus censa sunt in Bavaria, *Aventin. l. 7. p. 788.* Sed hoc extra ordinem indicebatur, illud ordinarium erat, quod in mansos & curtes imponebatur, ultra quod tolerabile erat. In Hollandia secus est. Ibi sextum nummum pretii agrorum, quo elocantur, semine quocunque consitorum fundorum, à tempore injecti seminis usque ad tempus demessi, singulis mensibus quatuor asses, & de ædibus octavum nummum pretii elocationis, & omnium immobilium nomine, quadragesimum nummum pretii venditionis, incolæ exsolvunt, *Stat. fœd. Belg. c. 12. n. 25. 26. 27. 28. & 29.* Ultimum in Hispania Alcavalam appellant, quam venditor quinq; & emtor quinq; denariis pro centenario redimit: Ibiq; æs ungularium adhuc practicant, quod *jervas & bellota* nominant, vigore cujus menstruum unius realis onus (facit in circa decem crucigeros) in singula pecora constituitur, quod

quod nos appellamus Weid, Geld/ pro pascuis nimirum, magis quam pro ungulis.

Causa communis tributorum, protectio; Specialis vero multiplex est. In qua præcipuæ sunt 1. pro extraordinaria indictione collectæ Imperialis 2. causa communis necessitatis sive defensionis 3. causa dotandæ filiæ: Pro ordinaria indictione sunt 1. Causa tenendorum militum & defendendorum fortalitiorum, *Capit. Leop. Aug. art. 3.* 2. Causa sustentandæ Cameræ Imperialis, *dict. art.*

Caput VIII.

Modus collectandi in Germania, est vel universalis vel particularis.

UBi collecta Imperialis vulgò Römer-Monat/ ab Imperatore petitur, primum Circuli inter se separatim consultant, ad quos Imperator aliquando suos Commissarios mit-

mittit: Hinc diæta universalis nascitur: Deliberant Status, an collecta dari debeat: Deliberatio non per majora, sed per singula, deciditur. Cum collecta placuit, ejusq; quantum determinatum est, in tot menses, quot Collegiis placuerunt, solvitur. *Dantur tales collectæ in Alemania juxta menses: Assignantur solutioni certi termini*, intra quos in civitatibus quatuor vel quinque vulgò den Lege-Stätten pecunia deponitur: Civitas quittantiam dat, mittitque schedulam dantium & morosorum Fiscali Cæsareo, qui per monitoria & mandata sine clausula contra morosos procedit.

In Gallia ita proceditur in exactione tributi vulgò *Talle*. Rex mittit assignationem quanti Thesaurariis generalibus numero septendecim, & Generalitatibus Statuum numero sex. Examinant hi commissionem singuli juxta facultates suæ generalitatis, ubique se solvendo

non

non esse assignato quanto comperiunt, humiliter à Rege diminutionem Collectæ petunt. Idque placet Regi. Tum illi commissiones Judicibus electionũ vulgò *les esleus* distribuunt: Hi taxam suarũ electionum constituunt, singulisque Parochiis edunt. Parochiæ collectores legunt: Hi summam collectam exactoribus electionum, & hi collectoribus Generalitatũ solvunt, qui ærario vulgò *l'espargne* demum collectũ tributum pendunt. Cum autem hic modus prolixus sit, placuit Regi alia cõsuetudo, *de lever les talles en parti*, pendendo nimirum aliis, qui cum usura semisse posteà talias exigunt. *Besogne en l'estat de France chap.* 8. *p.* 407.

Nec opus habet Galliæ Rex Statuum suorum consensu, nisi in terris quas *pays d'estat* vocãt, quales sunt: Linguadoca, Provincia, Burgundia, Comitatus Tholosæ, Delphinatus & Britannia: Hic Statuum provinciæ consensu opus est. Uti in Germania & Principes Status provinciales in ſimi-

simili casu convocant, quales ferè per omnes provincias habent: Nec Electores Ecclesiastici suis carent, ultra quod adhuc Capituli consensum necessarium requirant. Solus Elector Palatinus inter seculares nullos Status provinciales habet, ex ea ratione, *quod ibi plurimi Nobiles immediati domicilia sua foveant. Nec Principib.* tales desunt, Comites & Civitates tales non habent, nisi quod inter Comites Comes Ostfrisiæ etiam Status provinciales habeat, qui in Nobilibus, Civitatibus & Vogtiis consistunt.

Cap. IX.

De Coronatione.

Omnis actus coronationis dividitur 1. in antecedentia actum coronationis. 2. Concomitantia actus. 3. Subsequentia.

In antecedentibus.

Considerantur 1. Oblatio regalium, hoc est, Clinodiorum, quæ

quæ in Germania ad notificationē Electoris Moguntini apportant Aquisgranenſes & Norimbergenſes. Norimbergenſes coronā Caroli M. ponderis quatuordecim librarum auri, ita tamē, ut antiqua parcitas ſatis eluceat, ultra & annulum, ſceptrum, pomum, ſandalia, enſem ab angelo Carolo M. traditum, (qui forma aliquatenus ab enſe Caroli M. quem Aquisgrani cuſtodiunt, in formam acinacis fabrefactum, differt) tres Dalmaticas bruni, candidi & nigri coloris, una cum cingulo. Aquisgranenſes exhibent capſulam gemmis ornatam, cui ſanguis S. Stephani ineſt, gladium Caroli M. cum pendiculo, & Euangelium literis aureis ſcriptum. Hæc exhibent Aſſervatores. In Gallia conſtituit Rex coronandus deputatos, qui tollunt ampullam ſanctam cuſtoditam in Abbatia S. Remigii, qua inungitur Rex Galliæ, quamque cælitus Clodovæo dimiſſam ajunt: Cum deputatis illis ambulant præcedendo cum

cum faculis candidis ex consuetudine Primores Justitiæ, & Senatus civici Parisienses, & ex privilegio (ob vindicatum armis sanctum illud ex manibus Anglorum & Burgundionum) incolæ viginti sex villæ nominatæ (*Chesnes Pouilleure*) in agro Retelensi sitæ; tollitq; *in aditu* Ecclesiæ *Cathedralis* Rhemensis ex *manibus Abbatis* cum obligatione restituendi Abbatiæ S. Remigii.

In Ungaria ob sacram coronam Uladislao cælitus datam, quam vocant Apostolicam, regnicolæ cum Comite Palatino *Regni Hungariæ* turrim Possoni, in qua asservatur, adeunt, inter quos duo etiam nuncii civitatum, Cassoviensis nimirum & Sopronienſis comparent. In loco *Conservator Coronæ ad id* constitutus omnes rogat, an ex voluntate omnium conclave aperiri, & corona cum clinodiis eximi debeat, quibus consentientibus, reserata cistâ, eximuntur Regalia, & cistæ purpura tectæ includuntur, quæ tum ad

currum à quatuor Magnatibus terræ portatur, sicque in Ecclesiam D. Martini devehitur, ad altare ponitur, & usq; coronandus veniat, à conservatoribus sanctè custoditur.

§. 1.

2. *In ferendis insignibus cum Rex coronandus ad templum procedit.*

In Germania id observatur, quod insignia ante Imperatorem electum gerant introeundo Ecclesiam 1. in medio cum pomo El. Bavarus 2. à dextris hujus El. Brandeburgensis cum sceptro. 3. à finistris El. Palatinus cum corona; *sive* illorum vicarii: Immediatè & solus ante Imp. Elect. Saxoniæ cum gladio evaginato, *sive* illius vicarius; apud quos hoc observari debet, quod reliqui vicarii præsentibus Electoribus vacent. Vicarius autem Saxoniæ præsente suo Electore vaginam ante Electorem portet. Electores Ecclesiastici in suis Pontificalibus expectant in templo, cum suis suffraganeis. In templo Imperator in medio ArchiEpiscopi Mo-

Moguntini & Trevirensis conducitur, vel si Moguntinus in sua diœcesi agit, inter Trevirensem & Colonienſem, ſicut Ungariæ Rex inter Archiepiſcopum Strigonienſem & Colocenſem ambulat.

In Gallia Archiepiſcopus Rhemenſis *in templo eodem in ſuis ſubſelliis Regem expectat, una cum reliquis Paribus Eccleſiaſticis*, ut Epiſcopo de Laon, de Langres, de Bauvais, de Chalon, de Noyon; Archiepiſcopus Rhemenſis, Epiſcopi de Laon & Langure appellantur Epiſcopi Duces, reliqui Epiſcopi Comites; quod notam meretur. *Hi* dextram altaris occupant. Nec Pares ſeculares Regi obviam eunt, vel eum comitantur, uti in Germania Electores *ſeculares, ſed cum nominati ſunt à Rege, utpote pro* Ducatu Burgundiæ, Normanniæ, Aquitaniæ, & pro Comitatu Tholoſæ Flandriæ & Campaniæ. Hi ſiniſtram occupant. Veſtiuntur ferè tunicâ purpurea & in extremitatibus hermelinarum

pellibus ornata, sicuti Electores seculares, nisi quod hi carmosino coloreutãtur, & biretũ Electoralem, illi verò coronas gerunt. In Gallia hoc singulare est. Cum jam congregati sunt Pares, ex Ecclesiasticis duos eligunt, qui cum ad conclave *Regis* venerunt, *tribus vicibus* pulsant, quibus M. *Camerarius* respondet: Quid vultis? Replicant *illi* pro prima vice N. appellando nomen Regis filium N. appellando nomen Patris: Respondet Cameræ Præfectus: DORMIT; Rursus pulsant, cumque interrogantur ultima vice, quid velint; replicant: Volumus N. quem Deus nobis dedit Regem. Tunc reseratâ porta, dictâ ab Episcopo brevi oratione, levant Regem in lecto jacentem, vestitum induso & induso Damasci, vulgò *Camisole de satin.* In medio eorum ambulat Rex; Præcedunt Præfectus Franciæ, vulgò *le grand Prevost de France:* Clerici, Helvetiorum prætorianæ cohortes, Heroldi Nobiles, Magnus

cere-

ceremoniarum Magister, Equites ordinis cum insigniis, Nobiles domus, vulgò *les gentils hommes de la maison du Roy*, Milites Scoti, & immediatè ante Regem Connestabilis cum ense evaginato, qui id hac in ceremonia peragit, quod in Germania Marescallus. Ex latere Regis ostiarii, vulgò *huissiers de la chambre du Roy*. Sequitur Regem à dextris Cancellarius *avec mortier en teste*, à sinistris Magister Stabuli in tunica, sicuti Comites Pares Laici.

In Hungaria templum petēti Regi nihil præferunt, postquam templum ingressus est, illum ad sacristiam deducūt, tumq; demum vexilla Regni decē ad sacristiam inclinata Conservator Coronę gestanda bino ordine & expansa cum Clinodiis distribuit. Vexilla sunt 1. Hungariæ. 2. Dalmatiæ. 3. Croatiæ. 4. Sclavoniæ. 5. Ramæ, quæ est civitas vicina Jerusalem. 6. Serviæ. 7. Hallitiæ. 8. Uldamiriæ, partis Russiæ septentrionalis. 9. Cumaniæ, quæ est terra Valachiæ,

appellata Zavolcha. 10. Bulgariæ sive Myſiæ. Hocque in aliorum Regum conſecrationibus fieri nõ conſuevit.

Clinodia ſunt 1. Corona, quam portat Palatinus, 2. Gladius evaginatus, quem fert Agazonum Magiſter, 3. Sceptrum, quod geſtat judex Curiæ, 4. Pomum, quod oſtendit Tavernicorum Magiſter: Alii tres habent gladium S. Stephani vaginâ reconditum, Pacem, & Crucem auream. Hæc omnia ſinguli ſuo ordine, non extra ſed in templo, à ſacriſtia usque ad aram majorem ante Regem ferunt.

§. 2.

Concomitantia actus ſunt:

1. Deductio Regis in ſubſellium. 2. Oratio. 3 Interrogatio conſecrationis & præſtationis, & præſtatio juramenti corporalis. 4. Reſponſio populi. 5. Benedictio & Unctio. 6. Deterſio olei. 7. Aſſumptio Clinodiorum. 8. Oblatorium. 9. Participatio corporis Domini Noſtri Salvatoris. 10. Inthronizatio.

Se-

Sequentia Coronationis sunt:

1. Equitum creatio. 2 Assumptio in corpus quoddam. 3. Convivium & applausus totius populi.

§. 3.

Vique ad Concomitantia revertar:

Postquam deductus est in subsellia Rex, inter Orationem in genua procumbit, ut suam humilitatem ut homo Deo testetur. Postquam se levat, interrogat consecrator, in Germania Moguntinus & Colonienſis, ſinguli in ſuis diœceſibus, in Gallia Archiepiſcopus Rhemenſis; in Germania quidem proponuntur 6. capitula: 1. an Catholicam fidem ſervare 2. an Eccleſiam Catholicam protegere 3. an juſtitiã adminiſtrare 4. an Imperium augere 5. an viduas & orphanos protegere 6. an Papam revereri velit. In Gallia de tribus interrogatur 1. an privilegia Canonica obſervare 2. an leges bonas dare 3, an Eccleſiam defendere velit.

In Germania cum annuit interrogatis, de servandis apud altare Sacramentum corporale tacto sacrosancto Euangelio jurat: In Gallia antequam ad altare deducatur, promittit tacto, & præterea à osculo excepto SS. Euangelio.

In Ungaria non nisi peractis omnibus ceremoniis *in campo* ante Portam S. Michaelis Possonii *in theatro* stans, non tacto Euangelio, sed erectis digitis jurat Archiepiscopo Strigoniensi in Constitutionem Ferdinandi I. Et Rex Hungariæ non nisi unicum illud juramentum præstat, nec de capitulationibus initis nisi literas assecuratorias tradit.

Secus est in Imperatore, ille ubi ex Electoribus est, communiter quinque juramenta præstat. I. Jurat ut Elector, se pro commodo Imperii caput electurum juxta præscriptum juramentum in *Aur. Bull. Carol. IV. tit.* 2. II. Postquam electus est, de servanda capitulatione. III. Ante unctionem, uti supra memini. IV. Post

IV. Post coronam assumptam, de legibus servandis juratò stipulatur, & V. Cum recipitur post peractam coronationem in Canonicum Aquisgranensem, de servandis privilegiis illius Ecclesiæ jurat. In Gallia non nisi duo præstat Rex, unum prout supra memini, alterum, cum peracta solennitate Ordine S. Spiritus, ut Magister hujus Ordinis investitur.

Respondet populus.

Cum interrogatur, an agnoscere illum velint ut Regem, affirmativè, in Germania per *Fiat*, in Hungaria per *Volumus*, respondent, & quidem in Regno Hungariæ cum hac discrepantia, ut illa interrogatio media sit inter solennitatem accincti gladii S. Stephani & Impositionis coronæ, quam immediatè præcedit. Sed in Gallia ut successivo regno illa interrogatio intermittitur.

Benedicitur & ungitur Rex, antequam coronetur.

Sic corona differt ab Unctione. Ungit autem ille, qui coronat, &

vice versa tàm in Germania, quàm in Hungaria & Gallia: Ita ut connexa sint. Præcedit Unctionem spoliatio vestitus. In Germania pectore & brachio dextro ungitur; quidam Episcopi ejus diœceseos, ubi coronatur, denudant Imperatorem: *In Gallia Camerarius supremus* & in *Hungaria Magister Cameræ* id peragit. *Accipiunt Reges Unctionem* præmissâ benedictione Episcopali *flexis genibus*: In Germania per oleum consecratum in vertice per formam crucis 1. intra scapulas 2. cervice 3. pectore 4. dextro brachio 5. intra manum & junctûram & 6. in palma dextræ manus. In Gallia unguntur sacro unguento Remigii mixto cum oleo consecrato 1. in capite 2. in pectore 3. intra scapulas 4. in scapula dextra 5. in sinistra 6. in junctura brachii dextri 7. in junctura sinistra; intercedit in signum Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri indumentum datum tunicæ Dalmaticæ & paludamenti, quod

sequitur 8. unctio in palma dextra & 9. in palma sinistra. In Anglia testante *Thuan. hist. 29. ann. 1603.* Regina non nisi capite & cervice ungitur: Et rarum est, quod Imperator cervice ungatur, quod in aliis regnis non solet, cum in Anglia & hoc rarum sit, quod in *fronte, & pedibus ungatur.*

Unctionem in Germania detergunt *Electores* ecclesiastici gossypio subtili, cui in Gallia adjungunt in detersione frustulum panis.

In solennibus Clinodiorum juxta diversa regna variat diversus ordo. In Germania post unctionem Elect. Ecclesiastici Regem 1. Dalmatica 2. Sandaliis in sacristia ornant. Consecrator 3. ad altare gladium Caroli M. Norinbergensem evaginatum in manus tradit, postea in vaginam reconditum *Electores* seculares lateri Imperatoris accingunt. 4. Consecrator annulum digito inserit, 5. Sceptrum in dextram, 6. Pomum in sinistram tradit, 7. Paludamentum humeris circumjicit. 8. Demum

coronam imponit. In Gallia eo procedunt ordine. 1. Magister Cameræ ocreis serici violacei coloris & liliis Francicis distinctis loco Sandaliorum in Germania & Hungaria induit. 2. Dux Burgundiæ calcaria præsentat. 3. Consecrator, qui est Archiepiscopus Rhemensis, primò ad latera accingit, postea evaginatum gladium in manus tradit, inverso in Germania recepto more. 4. Ungit & consecrat. 5. Dalmatica beat. 6. Sceptrum & 7. Manum Justitiæ (quod Galli particulare habent) tradit. Cumq; ornatus est Rex, Cancellarius coram Rege stans appellat primo Pares Laicos, deinde Ecclesiasticos quosvis nomine, ubi comparuerunt, Consecrator coronam prius à Paribus tactã Regi imponit.

Post hæc in Gallia acclamat Regi Consecrator, vivat Rex! Heroldi monetas spargunt, quod ad Curiam retrogrediente Imperatore in Germania Archithesaurar. facit, & in Ecclesia Galli aliquas aves libero vola-

volatui relinquunt: uti Venetiis ante Festum Paschatis columbas ex superiore aditu templi D. Marci in recordationē diluvii suæ libertati donant.

Excipit solennitatem Clinodiorum 1. Missa, quâ durante tollitur in Gallia corona. 2. *Legitur* Euangelium, *quod ad osculandum Regi Galliæ præbet Episcopus Bononiæ.* 3. *Offert* Rex, & quidem in Gallia singulare hoc est, quod non solum ut alibi numismata sed & panem argenteum & aureum offerat. Sacrosancta cœna fruitur, sublata corona: In Germania & alii Reges Catholici sub una, Rex Galliæ in recordationem Regiæ & Presbyterialis dignitatis, sub utraque.

Ferre coronam, quod in Germania *Electori Palatino in ceremoniis* competit, *in Regno Hungariæ* ad Palatinū, in Regno Sueciæ ad Trucsessium spectat, in quo regno & illud notabile est, quod clavem etiam inter Regalia, tanquam significativum quid Thesaurariatus ponant.

Quod antiquitatem actus coronandi concernit; Nullus dubitaverim talem antiquissimum esse, ut & constat, Impp. antiquitus tres coronas accepisse, unam Romæ, post quam Augusti appellabantur, quaq; ultimò Bononiæ Carolus V. Imp. insignitus fuit, alteram Mediolani, ut Rex Italiæ, quam eo titulo circa tempora Ludovici filii Arnulphi Imp. Berengarium Ticini ab Archiepisc. Mediolanensi accepisse testatur *Sigon. de regn. Ital. lib. 6. anno* 888. Tertiam in Germania, quam fabulosè ferream putant.

§. 4.

Sed quis antiquitus peregerit coronationem, scrutemur.

*Dn. Comes Nadas in Coron. Regn. Hungariæ cent. 7. p.*148. memorat, Archiepiscopum Bulgariæ singulare privilegium inungendi Reges Romanorum habuisse, quod demum Justinianus Imp. aboleverit.

Sed

Sed hoc est inungere, quod differt à coronare. Ita enim *Petrus à Beck in Ludovico Pio, anno* 813. meminit, quod Leo Pontif. & Imp. Carolus M. circa annum 804. Archiepiscopo Colonienſi Hildebaldo concesserint facultatem Imperatoris consecrandi & coronandi. Relinquo *quidem fidem* authori quoad *ipsam* historiam, ex qua tamen differentia Unctionis & Coronationis satis patet.

Alias quod à tempore Caroli M. coronationem Germanicam attinet, illam sæpius Imperatores ipsi peregerunt.

Sic Carolus M. Ludovicum Pium jussit, ut propriis manibus coronam, quæ super altari erat, elevaret, & capiti suo imponeret. *Thegan. in dicto Imp.* Aliquando patres sub Francorum Imperio filios coronarunt, uti Ludovicus Pius anno 817. Lothario filio suo coronam imposuit, *Thegan. in Lud. Pio, Adelmus in annal. an.* 817. *Author annal. Pithœan.*

Ali-

Aliquando anteceſſores ſucceſſoribus REGALIA miſerunt, uti patet ex Exemplo Ludovici Balbi, atteſtante *Miræo d. l.*

Circa locum coronationis variarunt.

Carolus comperiens Lotharium *obiiſſe, ipſe capiti ſuo* coronam METIS ab Epiſcopo loci imponi juſſit. *Auth. annal. Pithæan. in anno 869.*

Ludovicus Balbus Caroli Calvi filius RHEMIS ab Hincmaro Archiep. Rhemenſi anno 877. conſecrabatur. *Miræus in Belgicis ann.* 877.

Arnulphus I. in Germania FORCHEMII ab Optimatibus Germaniæ coronatus reperitur. *Cruſius in ann. Suev. p.* 2. *l.* 3. *c.* 25. *ibi:* OMNES CORONARUNT.

Poſteà Moguntinus Præſul Hatto Conradum Francum electum, Aquisgrani conſecravit. *Gordon. in reb. geſt. ann.* 912. *Hæræus in Brabanticis an.* 912. In Ottone I. de jure coronandi decertabant Trevirenſis & Colonienſis, ſed ambo ceſſerunt Adel-

Adelberti Moguntini ALMITATI, inquit *Witekindus in gestis Saxonum lib.2.* Wilhelmus Archiepisc. Moguntinus Ottonem II. Imp. Aquisgrani coronavit: *Latomus in M. S.* Otto III. Imp. à Willegisio Archiep. Mog. & Johanne Archimysta Ravennate coronam accepit, *Baron. annal. anno 983.* Henrico II. Imp. d. Willegisius diadema Moguntiæ imposuit, *Marianus Scotus an.* 1002. Ita & Aribo Archiep. Mog. Conrado Salico serviit: *Wippo Secret. Imp. Conrad. Sal.*

Incepit Archiep. Colonienſis â tempore Henrici III. & IV. illum actum peragere; quod ab Henrico IV. Ecclesiæ Colonienſi in perpetuũ jus primò datum, *Lambert. Schafnaburgenſis in d. Imp.* à Carolo IV. in *A. B. tit. 4.* confirmatum, à tempore Maximiliani II. Imp. quod nondum pallium acceperant, usque ad hæc tempora intermissum, tandem sub moderno invictissimo Imperatore Leopoldo à Colonienſi & quidem

in

in illius coronatione Francofurti, salvo tamen jure Moguntiæ competente, sicq; in Moguntina diœcesi repetitum, & composita lite cum sede Moguntina, ita transactum, ut cuivis in sua diœcesi competat Consecratio & Coronatio, extra illam verò alternativæ locus sit.

Cap. X.

De Vicariatu S.R. Imperii.

NOlo illum confundi cum Prætura, quam illi obeunt, qui vice sacra Imperatoris viventis judicant: Vicarios & in spiritualibus Episcopi habent, quorum Jurisdictio exspirat morte committentis, & à quibus ad superiorem provocari potest.

Distinguo & Vicariatum præsentis materiæ, à tutela Imperii, quam plerumque antiqui Imperatores sub Francis, Saxonibus, Franconibus

bus & Suevis proximè agnatis pro gubernatione filiorum & Imperii concredebant. Illa tutela præsupponit subjectum personæ regendæ cum imperio : Sed in præsentibus terminis nulla est minorennitas Imperatoris. Cùm hic decessit, *demum Vicariorum potestas incipit:* Nec ubi Rex Romanorum adest, illorum cura opus est ; Subintrat enim ille post momentum mortis Imperatoris in hujus Majestatem, de quâ & vivente illo participat.

Nec de *Vicariis hîc agimus*, qui in absentiâ Imperatoris delegantur.

Nec circa hos versamur, qui *in certis terrarum particulis ultra Alpes constituti sunt.*

Sunt autem nostri Vicarii, de quibus tractamus, in Germania partim ex lege antiquâ A. B. partim ex vetusta consuetudine constituti Ordinarii

narii supremi Magistratus, qui vacans Imperium gubernant, & in omnibus Imperatorem repræsentant, exceptis illis, quæ eis in lege A. B. & alibi denegata sunt: Conjunctim universale appellationis & Judicii supremum Imperiũ exercent: *In reliquis, juxta terras Juris Franconici & Saxonici diversum*, & quoad certos limites separatum regimen gerunt.

Antequam hæc dilucidè enucleentur, prius loco Prodromi antiquitas Vicariatus præmittenda est.

Antiquitatem Vicariatus certa annalium tępora demonstrant; Sed quando primum Palatinæ, quando Saxonicæ domui datũ sit, in obscuro latet, licet plurimi originem ex tenebris suis eruere laboraverint.

Communior opinio circa Saxonicum Vicariatum est, quòd demùm in lege Aureæ Bullæ à Carolo IV. stabilitus, Palatinus verò seu Bavaricus

eus (addo hæc ob controversiam) ab antiquâ consuetudine dimanet, ita memorante ipsa lege *Aureæ Bullæ tit. 5. ibi ratione Comitatus Palatini privilegii.* Dubitari hic possit, An unum sit, dici ratione privilegii, cum anteà dixerim ratione consuetudinis vetustæ: Sufficiat hæc extremo digito attigisse, à quibus in scrutinium Vicariatus in genere considerati transeo. Et quidem cui tempori Vicariatus incunabula sua adscribat, & quomodò nulli certæ familiæ astrictus, verum pro voluntate Imperatorum mox alteri assignatus fuerit; Ut & quomodo Vicariatus ab antiquo cum Prætura Palatii cohæserit, ex sequentibus elucet.

Tempore Caroli M. Imp. Aug. nullum adhuc fuisse Vicariatum hisce indicat *Aventinus* probatissimus Author, *in annalibus Bojorum lib. 4. p. 376.*

Mor-

Mortuo Carolo M. Ludovicus maturandum putabat, ne seditio oriretur, quemadmodum fieri solet, ubi Capite orbatum est Imperium. Pagina verò præcedente ita ait: Ludovicus Pius filius Caroli, vivente adhuc Patre, superiore anno, quam is decederet, communi Principum decreto Cæsar designatus, nuncupatus est: continuoque in Aquitaniam rediit, ubi degens de morte parentis fit certior, crebris Legationibus in Germaniam invitatur: Ex quibus elucet, præsentiam designati Regis, & quidem puberis, excludere Vicarium & Tutorem.

Erat tum Officium illud non primæ, sed secundæ dignitatis, quod Franci MAJOREM DOMUS antiquitus, posteà introductâ Cæsareâ Majestate in Francorum domum, Præfectum Palatii appellabant: Tempore autem Caroli M. quatuor summi erant Aulæ Magistratus: Primus erat Magister equitum; Alter Præfectus Prætorio sive Palatii; Tertius

tius Archimagirus; Quartus Præfectus Cubiculorum, *Avent. l. 4. p. 360.* Nec tum prima erat Præfectura Palatii, præcedebat enim Magisterium equitum, nec Vicariatus tum ulla mentio fit.

Sub Ludovico Pio Imp.

Præfecti Prætorio cujusdam nomine *Bertrichi* mentio fit apud *Avent. l. 4 p. 385.*

Sub Ludovico Arnulphi Filio,

Memoratur Luitpoldus Dux Orientalis Bojariæ, author generis Regulorum Bojariæ, Præfectorumque Prætorio Rheni. *Aventin. l. 4. p. 481.* Mentio hic fit Præturæ, sed non, quòd Luitpoldus tali dignitate claruerit, sed quòd familiæ hujus ille author sit. Tum verò potiùs Tutores quàm Vicarios Ludovico Arnulphi Imp. impuberi filio, Hattonem Moguntinum Archiepiscopum, & Ottonem Saxoniæ Regulum, pupilli ex sorore affinem, constitutos à Patre historia docet.

Avent.

Aventin. l. 4. p. 475. Spargenberg in Chron. Mansfeld. c. 113.

Sub Carolo Crasso Imp.

Arnulphus (*inquit Æmilius*) non statim factus est Imperator, sed Caroli Crassi (facti impotentioris animi) curator, nobili exemplo fratris filius patruo. Cui consentit *Chronolog. Author Pistorius anno Dom.* 887. hisce formalibus: Arnulphus filius Carolomanni Imperium adeptus regnavit annis duodecim, sed tandem Vice-Imperator erat. Meminit *Gratian. Philæus in suo Vicar.* ex *Peucero*, (quod tamen coætanei nō scripserunt) quod anno Christi 900. Arnulphus Carolomanni Bavariæ & Italiæ regis Filius, Ludovici Germaniæ Regis nepos, mortuus sit, relicto Arnulpho Comite in Schstern/ Patre Palatinorum ad Rhenum, & Ducum Bavariæ, & primo omnium Imperii Vicario.

Sub

Sub Ottone II.

Vicariatum dicti Ottonis filii sui septimum agentis annum, injunctum Wilhelmo Filio suo Archimystæ Moguntino committebat Otto Imp. *Avent. l. 5. p. 500.*

Ante verò Ottonem IIc

Sub Ottone I.

Ita Præturæ Francorum prima mentio fit apud *Avent. l. 4. p. 459.* Imperium novi Regis sub idem tempus Eberhardus Præfectus Prætorio Francorum, & Giselbertus Lotharingorum Præses detrectabant: Præfecturam autem Palatii tum obibat Giselbertus, Dapifer erat Eberhardus, *Spangenbergius in Mansfeld. Chron.* anno 936. Sic tum Prætura Francorum Dapiferiæ, & personale & separabile annexum erat.

Quid de Præfectura Bojariæ?

Otto Arnulphum inferiorem & Hermannum, fratres Eberhardi Boji, curatores templi Fruxinensis,

præfectos Prætorio Bojariæ declarat, quæ tum maxima dignitas secundum Regulum erat. *Aventin. l. 4. p. 491.* Comes autem Palatinus vocatur is, qui vicem Cæsaris præsidendo Senatui principaliter defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusq; reddebat, fiscũ Augusti, prædia Salica, reditus regios procurabat, Cæsareum censum exigebat, nihil citra ejus authoritatem dici, aut decernere, aut statuere licebat: si Senatusconsultum Regulo displicebat, intercedebat, ad Cæsarem referebat.

Arnulphus Schiram oppidum condidit; hinc Bojorum nobilissima tum Magnatum vetusta familia. *Aventin. l. eod. p. ead.*

Hæc est Præfectura Palatii, quam hic primùm Comitivam Palatinam appellari reperio.

Non Rheni, inquis, sed Bojariæ.

Aliud tum erat esse Ducem, aliud Præfectum Prætorio Bojariæ. Otto

Imp.

Imp. fratri suo Henrico Ducatum Bavariæ dederat. *Aventin. l. 5. p.* 495. Sub Ottone I. Rector Bavariæ (i. e. Dux) Reginoburgum Arnulpho & Hermanno fratribus uxoris suæ, Schirorum Principibus, præfectisque Prætorio *Bojariæ*, quos Landgravios vocant, committit. *Avent. l. 5. p. 469.* Hic Præfectus Prætorio Landgravius nominatur, qui antea Comitis Palatini titulo coruscabat. Ita confunduntur sæpiùs vocabula; vel necesse est, ut tum unum quid fuerit Landgraviatus & Comitatus Palatinus.

Erat autem talis sub Ottone I. Vicariatus, & quidem pro absente, non mortuo. Otto I. in Italiam profectus, ordinavit Vicarium Imperii per Germaniam Hermannum Brunsuicensem; *Cæsar. Heisterbach. Moral. l.* 1. Ex Italia verò discedens reliquit Vicarium Imp. Per Italiam Conradum generum suum, *Avent. l.* 5. *p.* 496. sed talis Vicariatus non est, de quo hic loquimur.

Sub Henrico IV. Imp.

Henricus III. Imp. Aug. declarato filio Henrico certo Imperii hærede & succeſſore, teſtamentoq; Hagneti uxori tutela commiſſa obiit: *Aventin. l.5 p.542.* ſumma rerũ tutelaq; Cæſaris penes Auguſtam mulierem cordaram ex teſtamento manſit. *Avent. l.5.p.543.* Cæſare poſteà à matre abſtracto, paucorum potentia crevit, & Archiepiſcopi Colonienſis, & Bremenſis, ille Francus, hic Saxo curatelam pueri ſumpſere, ut duo per Imperium Conſules. *Cranzius in Saxon. l.5.c.1.*

Fit autem ſub Henrico IV. mentio Præfecti Prætorio Lotharingorum, Henrici nimirum fratris Conradi Charionum Præfecti, *Avent. l.5. p. 543.* ut & Ottonis, Schirorum Dynaſtæ, Præfecti Prætorio Bojariæ. *Avent. l.5. p.563.*

Item ſub Henrico IV. mentio fit cujuſdam Comitis Palatini Cunonis, quòd in bello inter Bavaros & Sue-

Suevos in acie ceciderit. *Cranz. in Saxon. l. 5. c. 10.*

Item Godefridi Com. Palat. quòd Henrico fidelis permanserit: meminit *Otto Frising. de gest. Frider. l. 1. c. 12.* quem Godefridum *Gratianus Philacus in suo Vicariatu* censet fuisse Comitem Palatinum Rheni.

Conradus III.

Si fides Arumæo *ad A. B. disc. 3. th.* 17. habetur, Palatinum Coloniæ confirmavit.

Fridericus I.

Ex testimonio *Gewoldi de Septemviratu c.* 11 *p.* 106. filios suos, Regem Henricum & Philippum Sueviæ Ducem, Vicarios Imp. ordinavit; *sed solum ut in absentia sua administrarent. Circa hæc tempora* primò ex beneficio Friderici I. Præfectura Bojariæ cum Ducatu Bavariæ uniebatur. Dictus Imperator Ottoni de Wittelsbach, Præfecto Prætorio Bojariæ & suo signifero, Duca-

tum Bavariæ dedit. *Aventin. l. 5. p.* 647.

Henricus VI.

Declarabatur â parente Friderico Cæsar, inauguratur Romæ â Calixto III. Redit in Germaniam. Sueviam *Philippo* fratri dedit. *Henrico undecimo* Saxoniâ atque Bojariâ cum *liberis pulsò ad Anglos relegato gratiam facit, filium natu majorem obsidem capit*, Brunovicum, Luneburgum, Urbes Saxoniæ reddit. (Hinc Brunsuicensis familia.)

Clementiam patruelem suam, filiam Conradi Præfecti Prætorio Rheni, Henrici filio dat in matrimonium, huicque Principatum Rhenanum in tutelam committit. *Avent. l. 6. p. 656.*

Hic primùm Præfecturæ Prætorio Rheni mentio fit apud *Aventinum* aliàs accuratissimum scriptorem: Venitque hic Comitatus Palatinus in Brunsvicensem familiam sub Henrico VI. Im. prout memini.

Sed

Sed tum alta Vicariatus est oblivio, semper enim Patres vivi filiis de Imperio providebant.

Sub turbulento Certamine Ottonis IV. cum Philippo filio Friderici I.

Henricum filium Cæsarem declarat, ei Tutores dat Angelbertum *Agrippinensem* Archimystã, & Ludovicum Præfectũ Prætorio Rheni, & Regulum Bojorum. *Avent. l. 7. p. 664.* Hic Imperii tutela committitur Familiæ Palatinæ, sed an intuitu Comitatus Palatini, an ratione Bavariæ, vere dici non potest. Si qua tamen conjectura locum habet, id ratione Comitivæ Palatinæ, ut *majoris dignitatis*, quæ semper minorem ad se trahit, factum esse censendum est. Quod autem Comes Palatinus Ducem Bojorũ anteierit, post unionem Bavariæ & Palatinatus, videndũ est ex diplomate

Friderici II. quod exhibet *Avent. l. 7. p. 662.* ubi Comes Palatinus præponitur titulo Ducis Bavariæ: In talibus enim ut & in feudorum investituris semper ad initium recurritur. In hac verò utriusque Principatus unione, antiquius quam *diploma Friderici II.* haberi nequit.

Ludovicus Bavariæ Dux à Friderico II. Rehnanum *Principatum*, qui *Palas* vocatur, officii & singularis obsequii gratiâ impetravit, atq; in fidem accepit: Ludovicus à Rhenanis recipitur, Agnetham filiam Henrici Præfecti Rhenani fratris Imperatoris Ottonis Augusti, ex familia Brunsvvigica sive potius antiqua Bavarico-Saxonica oriundi, cum ille tum absque liberis obiisset, filio suo Ottoni despondet, *Avent. l. 6. p. 663.* sic & Otto IV. Fratrem suũ Henricum Comitem Palatinũ creavit, *Meibom. de Henric. Leone fol. 40.* Ubi nota, quod investitura Imperialis antecesserit matrimonium Agnetis & Ottonis filii Ludovici. Et

quidem

quidem memorando Vicariatum illius temporis, *Liber de Casibus S. Galli a'n Alemanni c.14. p.324.* solius Ludovici, excluso supra memorato Archiepiscopo Colonienſi, ita meminit: Anno Domini M. CCXXV. Ludovicus Dux Bavarorum curator Regis Henrici (filii Friderici II.) in rebus tam propriis, quam Imperialibus in Alemannia efficitur.

Quid per Alemanniam intelligatur: An tota Germania, an verò ex more antiquo loquendi Suevia, Franconia, & Bavaria? Et ultimum mihi arridet, cum vocabulis propria ſua ſit relinquenda ſignificatio.

Otto vivente adhuc Patre Ludovico Com. Pal. & Duce Bavariæ utrumque Ducatum Rheni & Bojorum *ab Auguſto impetravit, & in* fidem accepit. *Avent. lib. 7. p. 667.* ſicque cum Bavaria unito Comitatu Palatino, Otto Præfectus Prætorio Rheni, Regulus Bojorum, Primarius Germaniarum Princeps, ab

Augusto patre Cæsaris deficere nefas dueebat: *Inquit Aventin. l.7. p. 667.* Cujus inter Tetrarchas potentissimus in Bavaria erat Albertus à Bogen: *Aventin. l.7. p.668.* adjicit *p.677.* Erat Otto (ille) uxorius, Agnes religiosula.

Quantæ tum potentiæ fuerit ille Princeps, ex *objectione illa* calida præsumes: Ita enim Conradus Cæsar conjugi Ottonis exprobrabat, avum nimirum atque patrem illius ab avo atque parente suo ex obscuris Wittelspachi crepundiis ad Ducatum Bavariæ & Rheni Palatium evectum esse. *l.7. p.680.* his annexis: si ingratus foret tot beneficiis, ad Wittelsbach redigendum fore. *Aventin. l.4.p.* cad.

Otto verò ille Bavariam non parum auxit & collocupletavit. Tetrarchias Comitum à Bogé, Windberg. Andechs, Damasiæ, Hohenwvart, Falai, Crainburg. Heinting, Lebenau, Wasenburg, Belaurosinfiscavit, cum Reguli absq; liberis obiissent, *Avent. l.7.p.690.* Nunc

Nunc in viam redeo: Sub Friderico I. Præfecturæ Bojariæ Ducatus Bavariæ, Ducatui Bavariæ sub Friderico II. Comitatus Palat. & post hunc dignitas Vicariatus in Ludovico Bavariæ Duce sub eod. Imperatore, primum accessit.

Sub quo Ludovico Prætoria Rheni & Bojariæ primũ uniri cœperunt. Antequam verò unirentur, diversa erant. Sic Anno 1156. sub Friderico I. apud *Avent. l.6. p.633.* legitur Otto de Wittelsbach, Præfectus Prætorio Bojariæ, cum fratre Friderico, cui post recensitos aliquos intermedio ordine. Hermannus Palatinus à Rheno ponitur.

Primus autem Præfectus Prætorio Bojariæ fuit sub Henrico III. Imperatore, Otto I. *præfectus* Prætorio Bojariæ & Kelhamiorum, *Avent. l.7.p.653.* Hic nõ tantum dicitur, Bojariæ, sed & Kelhamiorum. Ita ut videatur, hos non fuisse sub Bojaria comprehensos.

Ille Otto, Præfectus nimirum Prætorio Bojariç, erat sanguine junctus, patruelis Ludovici Ducis Bavariæ: Et tum sub Friderico Primo adhuc discretum fuisse Prætorium, & Ducatum Bavariæ, ex diversis regentium personis constat.

Postquam verò uniebantur, non solum Ducatus Bavariæ cum Præfectura Bojariæ, sed & cum Ducatu Comitatus Palatinus. Ludovicus Palatium Rheni in Bavariam transtulit, ita memorante *Avent. l. 7. p. 660.* Ex quo dubium oriri posset, & quidem tale, quod Palatium Rheni per formam accessionis unitum fuerit Palatio Bavariæ, & quasi hoc præcederet illi. Sed in his dubietati historiæ aliquid condonandum est.

Nec est, quod usq; ad hoc tempus Friderici II. sub quo unitum est Prætorium, & Ducatus, semper uni familiæ inhæsisse Prætorium Bavariæ putes. Cum sub imperio Ottonis IV. Otto à Wittelsbach proscriberetur,

in

in illius locū ſubrogabatur Rapoto ab Attenberg Prætorio Bavariæ Præfectus, qui vicem Cæſaris abſentis præſidendo tribunali perſungeretur. *Avent. l. 7. p. 661.* Ita deſcribitur hac occaſione apud *Aventin.* Præfectus Prætorio, ut exindè facilè colligere poſſis, tum Præfectos Prætorio *magis fuiſſe* judices loco Cæſaris, quam quod poſt mortem Cæſaris ſupremum habuerint Imperium, de quo in antiquitate plenum eſt ſilentium: ſicut autem ante ætatem Friderici II. Imperatoris diverſæ erant Præfecturæ Palatii, Rheni nimirum & Bavariæ: Ita & duo erant diverſa Prætoria. Prætorium Rheni juxta *Compil. annal. Pithœan. anno Chriſti 791.* Palatium Rheni Wormatiæ & ſub poteſtate Conradi Comitis Palatini fuiſſe proditur. *Freher. de Origin. Palat. c. 10.* refert, Palatium Rheni fuiſſe in Urbe Trevirorum, quod adhuc in modernum diem *Palas* vocant, & circumjacentem locum die Grafſchafft

appellant. *Freherus in Chronic. Bavar. Andreas Presbyt. in not. p. 215.*

In his non solum Comites Palatini habitabant, sed & perpetua urbis Trevirensis pollebant advocatia, ibid.

Prætorium autem Bavariæ erat Landshuta, *Aventinus lib. 7. pag. 654.*

Repeto Vicariatum.

Sed an ne continuatum in familia Palatino Bavarica usque ad nostrum seculum. Ita *Avent. l. 7. p. 719.* post obitum Rudolphi I. Imp. de Imperio concertantibus Adolpho Nassovico & Alberto Austriaco, inquit: Solet in Germania quamdiu est orbata capite, Præfectus Prætorio Rheni, Duxque Bojorum Interrex esse, atq; imperii munia obire : Ludovicus cum

tura hujusmodi dignitate defungens apud Rhenum diversabatur: Ut autem scias, quis hic Ludovicus fuerit, Severus appellabatur, & filium Rudolphum habebat, postea El. Palatinum: illud vocabulum *solet* præsupponit, quòd ante illa tempora *consuetudo Vicariatus in familiam Palatinam introducta fuerit. Huic Rudolpho*, quod occasione hujus dixero, patrueles Otto, Stephanus & Ludovicus, bellum, nisi solo Palatini Comitis Rheni nomine contentus titulo Bojariæ desistat, indicunt: *Aventin. l. 7. p. 719.* At ille: Principatuum & regionum factam esse divisionem, non dignitatis.

Patet ex supradictis, à quo tempore *originem trahat Vicariatus*, sive hunc Palatinum sive Bavaricum dixeris.

Adeo-

Adeoq; *Freherus* alias vir antiquitatis summus scrutator fallitur in eo, quòd Vicariatum à tempore Majoratus domus in Palatinis ducat: Qui satis abundè castigatur ab Arumæo *discurs. tertio ad A. B. th.* 25. & quidem quod illa asserendo ex *Guntherol* 1. *in Ligur.* scire debuerit quod longè post *institutũ* Majoratum domus, & quidem Conrado III. Imp. mortuo cura Regni ad Proceres Francorum redierit. Quin quod & d. Arumæus Knichenium perstringat, quòd hic asserat, ante Ottonem III. Comites Palatinos Vicariatum tenuisse, interea nullum exemplum edat. Et quod vetustius exemplum quàm Rudolphi Palatini Soceri Caroli IV. adducere nequeat ipse *Freherus*: Quod tamen ab anteriore tempore repetit ex *Aventino supra alleg. loco Crusius l.* 3. *annal. Suev. part.* 3.

Ad majora tempora ascendit *Gratianus Philacus p.* 35. *in suo Vicariatu*, qui

qui ex *Peucero* ultimorum temporum authore, & multò minus illius seculi coætaneo, Arnolphum Comitem à Schiern/ Arnulphi Carolomanni Fil. Bavariæ & Italiæ Regis filium, primum Imperii omnium ponat Vicarium. *Descendit autem ex linea illa Schirensi moderna Palatina & Bavarica familia. Sed hæc ex Peucero transsumpta planè incerta sunt.*

Quicquid sit, hoc tamen negari nequit, à tempore Friderici II. vicariatum fuisse penes familiam Palatino-Bavaricã, sive Bavarico-Palatinam.

Interruptus quidem est *ille* ordo, nunquam verò vacante Imperio, sed cùm Imperator ultra Alpes erat, quod absentiam notat; Illius enim *patria non provincia, sed totum est* Imperium, *adeoque nec absens ille* dici potest, nisi extra Imperium. Sed inquis: Nec hoc Alpibus finitur. Verum quidem hoc est, sed interea id communis usus in antiquis temporibus distinxit, & adhuc separat.

Cùm

Cùm autem absens erat Imperator, non id certæ familiæ competebat, quod arbitrii Cæsarei est. Sic post tempora Friderici II. Henricus Lüzelburgensis dictus Septimus, filium Johannem Regem Bohemiæ, & Berchtoldum Hennebergicum Comitem, primum ejus familiæ Principē, Ludovicus Bavarus Imperator, Consensu Imperii Principum, Ottonem Austriæ Ducem Paduæ & Tarvisii, & Sigismundus Imp. Wilhelmū Bavariæ Ducem Vicarium cōstituit. *Naucler. gener. 45. fol. 888. memorante Gevvoldo de Septemviratu c. 11. p. 196.* Confiteri necesse est, Ludovicum Bavarum & illius exemplum, cum ad vicariatum particularem & non universalem spectet, huc non benè quadrare. Convenit id melius quod Ludovicus Bavarus Eduardum Angliæ Regem Imperii vicarium generalem constituere sibi proposuerit, licet vario eventu, *Goldast. tom. 3. const. Impp. Anno 1339.* Et videtur Arumæo *in A. B. disc. 3.*

falli in eo Freherus *c. 10. ad P. de Andlo*, quod non solùm ex eo necessitativum annexum constituat familiæ Palatinæ, quòd nimirum Imperator absens nulli alii quàm illi concredere queat, sed &, quod excluso Saxonię Electoratu id totum familiæ huic Sereniſſimæ attribuat.

Hodiè *non est* nisi unicus Comitatus *Palatinus*, in diversas tamen *familias* à tempore Ruperti Imp. distinctus.

Olim plures erant: Nunquid in *Speculo Saxonico p. 1. art. 53. 64.* memorantur quatuor Palatini, Saxoniæ, Franconiæ, Sueviæ, & Bavariæ. Nunquid *Aventinus in annal. Bav. l. 7. p. 681.* meminit Sigebothonis Præsidis, Ottonis ab Andechs Dalmatiæ Reguli Istriæ & Prætorio Burgundiæ præfecti?

An non Fridericus I. Imp. Burgundiæ & Vienẽsis provinciæ Palatinum instituit. *Goldast. tom. 3. Const. Imp.*

Sic & Conradus III. Coloniæ Palatinũ fecit. *Arum. ad A. B. disc. 2. t. 27.*

Sue-

Suevicum, Bavaricum, & Franconicum Palatinatum Rhenano subjectum fuisse, ille Arumæus *d. l.* dicit, sed ex quo id antiquitatis hauserit, non indicat.

Memoranturq; sequentes Palatini in historicâ antiquitate.

1. *Otto Palatinus* Comes de Rimach. *M. Chron. Belg. p. 165.*

2. Conradus sub *Henrico Aucupe* anno 933.

3. Eberhardus, Franconiæ Dux, Hohenvvilæ Comes. *Cruſ. annal. Suev. p.* 1. *l.* 12. *c.* 5.

4. Sub Conrado Suevo frattis ejus Friderici Sueviæ Ducis filius: *Otto Friſing. l.* 1. *c.* 21. forte ſurrogatus, ait *Gratianus Philecus in ſuo Vicariatu*, in locum Gothofredi, de quo *Otto Friſingenſ. l.* 1. *c.* 12.

5. *Munſterus Coſmogr. lib.* 2. poſt mortem Reinoldi hæredem Ottonem, Comitatus Burgundiæ Pfalzgravium dictæ provinciæ indicat.

6. *Reuſner. Geneal. Rudolph. II. p.* 27. nominat Comitem Laufenburgii, Pala-

Palatinum Burgundiæ & Vicarium Imperii Romani in Arelato.

Sic varia erant Prætoria, variæq; personæ.

An Præfectura Bavariæ post unionem Comitatus Palatini & Bavariæ planè defierit?

Negativam *Aventinus l. 7. p. 718.* indicat, & quidem hisce: Præfectus Prætorio in Bavaria (Rudolphi I. Imperatoris) fuit Bernhardus à Bebenhausen genitus sorore Comitum de Roteneck: Huic Henricus & Otto Duces Bojorum Venandi jus donârunt, *Avent. l. 7. p. 718.*

In quibus bonis constiterit Palatinæ dignitas Rheni?

Plus quàm notum est, postquam in Germaniâ hæreditariæ factæ sunt *dignitates, quod ad tempus Henrici Aucupis plures referunt, dignitatibus illis affixas fuisse certas quasdam terras*, cùm vanum sit Nobilem esse sine reditibus: Nec immeritò in A. B. Caroli IV. dicitur, Electores eligere vi Principatuum suorum:

Nec

Nec dubitandum est præfecturæ Palatii Palatini quædam fuisse bona addita. In quibus verò constiterint, omnes se ignorare confitentur. Aliqui illa ad situm Mosellæ referunt. Et Modernum Palatinum *Principatum à quadringentis & non amplius annis partim ex emptionibus, partim ex bellicis acquisitionibus & aliis legitimis titulis* coaluisse, testatur *Munsterus Cosmograph. l. 3. in Palat.*

CAP. XI.

Quis primus fuerit Elector inter Comites Palatinos, & Duces Bavaros.

NOn tam securè id constat, cùm de institutione Collegii Electoralis variæ sententiæ sint. Alii ad tempora Ottonis III. Imp. & Gregorii V. Pontificis illam referunt; Alii post Friderici II. tempora & approbationem Gregorii X. Pontificis reducunt; Alii paulò ante

Ca-

Caroli IV. illam natam esse referunt. Nolo hîc universalia illa tangere, quæ posteà parum dilucidabo. Hoc solùm quoad Palatinos *ex Aventino l.7.p.707.* non prætereo, quod post longum illud interregnum 18. annorum *(alii 16. annos, alii 21. alii 25. computant)* & mortem *Friderici II. Imp.* placuerit *Proceribus Imperii* uni deligendi potestatem attribuere: proindè omnium cõsensu Ludovico Præfecto Prætorio Rheni, Regulo Bojorum, qui tum inter *Principes* magnoperè eminebat, summam *deligend* Imp. potestatem offerunt, atque permittunt, ut Cæsarem sciscat, *Principibus* ita visum, qui deinde *authores fient: Hoc* Ludovicus sibi *primum periculosum fore existimans, sed cum principes* sæpius instarent, *ille* Rudolphum *Suevum filium Alberti Saphenburgensis limitis Ducis*, Rudolphi Habsburgensis *Præfecti* nepotem nuncupat: *Ita Aventin.* Videturq; hæc opinio

con-

concordare cum ſententia Abbatis Urſpergenſis, qui circa tempora ſua h.e. Friderici II. ævum, primus inter omnes authores ſeptem officialium eligentium meminit.

An dignitas Palatina anteferatur dignitati Bavariæ?

In ſcamno quidem ſeculari Principum Bavari primi & quidem ante Palatinos ſedent; ſed hi pro jure ſuo conſervando ſemper quoties fit, in Comitiis proteſtantur. Ab antiquo tamen ſemper in omnibus diplomatibus Duces Bavariæ prætulerunt titulum Comitis Palatini, uti apparet ex *Aventin. l.7. annal. Boj.* Imò & primogenito tanquam authentica habitatio & principalis ſedes, à prima diviſione Comitatus Palatinus obtigit. Sic poſt mortem Friderici II. Imp. & pendente interregno in prima diviſione ita partiebantur bona Ludovicus & Henricus fratres: Ludovicus (ut major) Palatium Rhenanum, & ſuperiorem Bo-

Bojariam, (cujus urbes primariæ sunt Monachium, Wasenburgum, Ingolstadium) finitima his loca præfecturam Reginoborgensem (h. e. Rietburgum) Stephaning / Lengefeld/Rengstaut/ Kalmünz/ obtinuit. Cætera, Nariscos, Freystadt / Amberg/Sulzbach/Parckstein/Weiden/ Aldorff/ Waldsaxen/ & hujuscemodi oppida Bohemiæ contermina, insuper in Vindelicia Reginoburgum, Straubingam, Vilzhofium, Landau / Dingelfingen / Branau/ Scharding / Henricus possedit. *Aventin. l. 7. p. 696.*

In secunda & quidem maxima divisione inter filios Ludovici Severi, Rudolphum nimirum & Ludovicum, (unde linea Rudolphina, Palatina nimirùm, & Wilhelmiana, à Wilhelmo filio Ludovici posteà Imperatoris, ita dicta) observabis, quod magis opimam partem Rudolphus, ut primogenitus possessor Palatini habuerit. Hinc de Ludovico Imperatore ita *Aventin. l. 7.*

Non admodùm locuples fuit, superiorem duntaxat Bojariam, cujus primariæ urbes sunt Wasenburgum, Monachium, Ingolstadium, possedit. Scis optime lector, Rudolphum primogenitum suis terris ex nullo alio capite ejectum, *quàm quod Friderico Austriaco*, contra Ludovicum fratrem suum, vocem dedisset. Hinc Ludovicus illum suis bonis exuit, principatuque eliminavit: Miserabatur tamen filios Rudolphi ut innocentes, cum quibus divisionem ita fecit, ut filiis Rudolphi cederet Comitatus Palatinus cum aliquibus Comitatibus Bavariæ, scilicet Amberg / & Namburg. *Chron. Presbyt. in Bavaric. p. 78.* Loca nominatim utrique parti cessa & divisa citat *Freher. in not. ad Chron. p. 222.*

Et in Bavaria subdivisiones factæ sunt, de quibus consule *allegatum Chronicon Presbyteri.*

Manet hoc, quod semper in divisionibus habita sit pro majore ratio

ratio ſpecialis Comitatus Palatini, quem ſemper in prærogativam primogenituræ majori datum obſervabis.

Nec movet, quod legitur apud *Aventin. l. 7. p. 704.* in certis quibusdam tabulis venditoriis Henricum præpoſuiſſe nomen Ducis Bavariæ, titulo Comitis Palatini; & fortaſſis id indè, quod ſæpius ab antiquiore ævo petierint ſecundo geniti à majoribus, quod ſolo titulo Comitatus Palatini contenti relinquerent denominationem Bavaricam: Uti de illo Henrico meminit *Avent. l. 7. p. 710.* idq; factum circa tempora Rudolphi I. Imp. *Avent. d. l.*

Producit *Gevvoldus* pro aſſerenda prærogativa Bavariæ contra Palatinos *de Septemvir. c. 10. p. 164.* diploma Friderici ann. M C LXI. in quo Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ ponitur ante Conradum Palatinum Comitem de Rheno.

Quod & ego facilè concesserim quòd Henricus Leo prælatus fuerit Comiti Palatino: Erat enim inter omnes alios potentissimus princeps, & à sinu Codano usque ad Alpes, Imperium suum longè lateque extendebat: sed quod intuitu *Bavariæ illud factum sit, nullus asserit.*

Concurrit hic famigerata illa inter Marqu. Freherum & Gevvoldum exagitata quæstio, an Electoratus, antequam duplex esset in Instrumento Pacis Suecico in utraq; linea institutus, Comitibus Palatinis ratione Comitatus Palat. vel intuitu Bavariæ Ducatus competierit; sed Gevvoldus id non aliter probat, quam 1. Duces Bavariæ fuisse Electores, antequam essent Principes Palatini: sed prout *in meo Iurisprud. publica* satis demonstravi, ante Friderici II. Imp. tempora, nomen & determinatum numerũ Electorum adhuc incognitũ fuisse; quid igitur de Electoratu Bavariæ? & quod post unio-

unionem utriusq; Palatini & Bavari Ducatus ille demum in notitiam venerit, *ex Aventin.* patet. *Vide supra* 2. ex sententia Abbatis Urspergensis eligere Palatinum, quia Dapifer est: Exercuisse autem Dapiferiam Bavaros Duces à seculo Ottonis III. Imp. Tum adhibebantur, ait *Dithmarus l. 4. fol. 36.* isti officio; Ministrantes nimirum, ad mensam Henricus, ad Cameram Conradus, ad Cellariam Hexilo, Bernhardus equis præfuit. Ex qua familia singuli fuerint, explicat *Georg. Fabr. anno DCCCLXXXIV.* Henricus Bavarus Dapifer, Conradus Francus Camerarius, Hexilo Palatinus Pincerna, Bernhardus Saxo Stabularius. Nota hic incidenter, Ordinem tum planè à moderno diversum *fuisse*: Pincerna hodiè primus est, *ibi tertius*; Dapifer secundus, ibi primus; Camerarius tertius hodiè, ibi secundus; Marescallus ibi planè omittitur, & Stabularius ponitur, quod forsan id temporis officium explicuit.

3. Illum etiam Eberhardum, qui in Coronatione Ottonis II. Imp. mensæ præfuit, juxta *Witekindum Gest. Saxon. l. 2. fol. 20. & seqq.* fuisse Bavariæ Ducem.

4. Rudolphum I. Imper. in foro contentioso singulari edicto *anno 1275. quod Gevvoldus* verbotenus exhibet, decidisse, quod ratione Ducatus Bavariæ Ludovico Comiti Palatino, & Henrico Duci Bavariæ, fratribus, Electionis votum competat, sed non nisi pro unâ voce computandum: Prout & circa illa tempora Otto & Woldemarus Marchiones Brandenburgenses simul in electo Rege Romanorum, sed non nisi voto uno computato, concurrentiam tenuissent, quod diploma & *d. author* promulgat, *p.* 178.

5. Accedere pactum Ludovici Imp. cum Rudolphi fratris Comitis Palatini filiis, pro alternativa concludens inter utramque domum, erectum Paviæ.

Sed

Sed excipiunt ad hæc Palatini, antiqua primùm se suæ obscuritati relicturos, ubi verè Bavari ad nostra tempora accedere velint, se quidem recordari pacti illius alternativi, sed à filiis Ludovici nunquam id practicatum fuisse; *mansisse Palatinos in possessione Electoratus, quæ sententiâ Caroli IV. plenè domui Palatinæ, & quidem his formalibus confirmata fuerit.*

Invenimus, quod electio & vox super principatum & terras Palatinatus & super Archidapiferiam taliter fundatæ sunt, quod unum sine alio persistere non possit. *Gewold. l. d. c. 10. p. 191.*

Eo subtrui omnia Bavarorum argumenta, cum res judicata sit: Imo *quod alternativa susque deque habita fuerit, ex transactione Rudolphi Palat. & Ludovici Imp. fratris elucescere*, quod vi illius pacti post fata utriusque in Communione SENIORI electio, in divisione

verò & uni, qui electuram æquâ divisionis parte obtinuerit, uti formalia sunt, competere jubeatur. Nec esse, quod sententiam Carolinam Bavari suspicionis & partialitatis accusent, ut pro socero Rudolpho Com. Palat. latam: *Ultra enim quod sacrum* Imperatoris *judicium tales præsumptiones*, sicut *in aliis minoribus judicibus*, ex capite affinitatis, consanguinitatis amicitiæ ortas respuat, cum & in propria causa, uti Crimine læsæ Majestatis, non nisi per se judicet: Accessisse pretereà confirmationem posteriorum temporum; nec Bavaros amplius ex post-facto nisi semel & quidem Anno MDXLIV. ubi petebatur investitura à Carolo V. protestatos fuisse, ipse Gevvoldus meminerit, & sic ab A.MCCCLVI. tempore latæ sententiæ Carolinæ usque ad annum MDXLIV. Bavariam juri Palatino acquievisse.

Ho-

Hodiè res dubio caret, cum ambabus familiis Electoratus competat, & Archidapiferia, quæ ex sententia Carolina inseparabiliter principatui Palatino annexa erat, Bavariæ ex Instrum. Pacis ann. 1648. cesserit.

Quibus argumentis pro & contra in Vicariatus quæstione utantur Palatini & Bavari.

Vide *me in Iurisprud. publ. sub Vicariatu.* Ut autem hîc paucis rem comprehendam: Principalis cardo quæstionis in eo versatur, in quem onus probandi cadat, sive de r[e]tento Vicariatu, sive de translat[o]. Videturque eò quæstio cadere, an Elect. Palatinus probare debeat, sibi *recens datum* Vicariatum, vel ab antiquo *relictum*: seu an Bavarus ad docendum astringatur, sub plenaria restitutione Comitatus Palatini inferioris Vicariatum non contineri.

Elector Bavariæ ita?

Quod Comes Palatinus Elect. probare teneatur, Vicariatum sibi ademptum, cum possessionem ex investitura Ferdinandi II. Imper. Maximiliano Duci Bavariæ & patri tributa, pro se habeat: Investituram dare *jus in re: Hinc se pro continuanda possessione Vicariatus sibi in Investitura patris concessi, non de acquirendo novo jure agere.* Continuationem possessionis hinc doceri, quod *in Instrum. Pacis Suec. art.* 3. hæc contineantur, sicut hactenus, ita & imposterum MANEANT. Ita ut in tractatu pacis Maximilianus sua jura & Electoralem dignitatem non primum acquisierit, nec illius annexa regalia & officia demum acceperit, sed à Ferdinando II. data, in tractatibus Pacis confirmata, ad posteros transmiserit: Eâ ratione incumbere onus probandi Electori Palatino, quod Vicariatus Bavariæ Electorali domui ademptus sit.

II. Mem-

II. Mentem ultra verba extendi non posse; Et quamvis El. plenariè restitutus sit, illam tamen restitutionem plus operari non posse, quàm ad illum actum, & illam rem, de quâ agitur, *Cuman. in l. quoties ff. de acquir. hared.* Jam verò plenariam quidem factam esse Palatino restitutionem, sed non nisi ad Comitatum Palatinum inferiorem & annexa jura, Electoralem illius verò dignitatem de novo instituram esse: Sic non esse universalem, sed solum determinatam & particularem restitutionem ultra concessa & restituta non extendendam.

III. Domui Bavariæ dignitatem Electoralem, quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, insigniis & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, per verbum *manere* confirmatam esse; in confesso autem esse, quòd antehac

Electores Palatini Vicariatum exercuerint; Ergò meritò in domum Bavaricam vi Instrumenti transiisse.

IV. Eò minus restitutionem Palatinam in præjudicium domûs Bavaricæ accipiendam, cùm jam dudum ex Investitura Cæsarea radicatum *jus in Investitura habeat*; restitutionem autem ita *intelligendam*, ut fiat absque damno tertii, *l. sciendum ff. ex quib. caus. major.*

V. Maximè, cum Restitutio Palatina ex gratia Cæsaris proficiscatur, quæ tertio jus quæsitum tollere nequeat; quamvis aliqui in restitutione justitiæ diversum censeant. *Sfort. Oddi de restit. in integr. p. 1. qu. 44.*

Excipiunt Palatini:

Quod attinet Investituram Maximiliani Ducis, illam tempore turbulento & quidem bellico factam esse. Omnes scire, quòd præscriptio tempore belli nata ex eo locum non habeat, quia possessionis maximum vitium, nimirum bellum, illius ma-

mater sit; proindè vitiosam esse possessionem: non quidem se impugnare judicium Imperiale, sed satis abundanter patescere faciem causæ Bavaricæ ex confiscatione Palatina, cui accusatum crimen læsæ *Majestatis* initium dederit. Sublatum esse *principium hoc per oblivionem & amnistiam*: Quid aliud *subsequi posset*, quàm redintegrationem & restitutionem priorum jurium ante bellum habitorum:

Amnistiam perfodere omnes actus priores, quidni & investituram occasione belli *Bohemici* natam!

Si Instrumentum Investituræ allegare velint Bavari, necesse sit, quod aut in toto valeat, aut in toto corruat, *cum fides Instrumenti inseparata & indivisibilis sit, pro* parte itaq; directè non recipi. In quibusdam mutatum esse dictum Instrumentum, idque docere tenorem Instrumenti Pacis, & modernæ Bavaricæ Investituræ contenta.

II. III. IV.

Quicquid in secundo, tertio & quarto Capite allegatur, non huc facere, cum restitutio Palatina facta sit in Comitatum Pal. inferiorem, h. e. Rheni, cum annexis: *Annexum verò esse Comitatui Rheni Vicariatum, ex Aurea Bulla* satis patere *t. 5. ibi, ratione Comitatûs Palatini.* Nihil clarius proponi posse: Quod non in Aur. B. permutatur, quare stare prohibetur?

Quoad Quintum.

Nolle se huic oppositioni multa opponere. Interim æquitatem ipsam & Cæsarem benignè loqui, & quidem quod restitutio ex Pacto proficiscatur, & regulam allegatam ratione restitutionis in integrum suas restrictiones pati. Esse quidem indubitatum, quod tertio jus adimi nequeat, sed interea & illud extra aleam quæstionis poni, tum nulli præjudicium fieri, cùm quis in antiqua sua jura reponitur. Quid enim

aliud

aliud esse restituere, quàm in antiquum ordinem reponere, *l. 1. C. de sentent. pass. c. exlueris 10. de restit. in integr. l. 75. de V. S.* exceptionem hujus regulæ tàm in jure, quàm quoad præsens factum ab adversa & negante parte esse docendam, cum præsumptio juris pro regula pugnet.

Replicant Bavari.

Quia totum Palatinorum fundamentum sit in A. B. *t. 5. ibi ratione Comitatus Palatini*, radicatum, & quod Vicariatus annexum sit ex eo textu Comitatus Palatini: Opponere se textui Latino, Germanicam editionem, *eod. t. ibi*, vondes Churfürstenthumbs und Pfaltzgrafschafft Freyheit wegen: Adjici ibi Electoratum: Attrahere majorem dignitatem alteram. Et sic potius Electoratus annexum quid esse Imperii Vicariatum.

Duplicant Palatini.

An major Latino, an melior Germano textui fides adhiberi debeat, adeò

adeò non constare: Cùm verisimilius sit, ut rem & legem, pro multis populis, linguæ Germanicæ insciis, qui & sub Imperio tēpore Caroli IV. continebantur, uti bona pars Italiæ, & Bohemiæ, quales adhuc & quidem posteriores ex tota, priores ex minima parte sub Imperio sunt, linguâ Latina priùs editam, ut ab omnibus cognosceretur: An vel Metis, vel Norinbergæ edita sit, ad scopum nihil facere. Verum quidem esse, quod Rudolphus I. edixerit, quod in posterum à suo tempore omnia edicta, privilegia, & constitutiones lingua Germanica edi deberent, quæ anteâ, uti adhuc in Polonia, latino sermone prodierunt, *teste Avent. l. 7. p. 708.* Planè contrario antiquorum Imperatorum more, qui cum Cis-Rhenanas provincias Imperio adjecissent, linguâ non suâ, sed Romanâ uti præceperunt. *Conring. de Republ. Imper, acroam. 1. p. 41.*

Sed

Sed interea non desiisse leges illas Universales, & aliis quàm Germanis populis necessarias utraque lingua vulgare, uti & novissimum Instrumenti pacis exemplum sit Latina & Germanica lingua simul editum. Sed quicquid sit, nec Germanicum textum opinioni Palatinæ derogare. Cùm addatur die Pfaltz-Grafffschafft / quod vocabulum ut posteriori loco positum ex jure deroget priori. *l. servis 99. §. fin. ff. de legat. 3.* Conjuncta esse in textu Germanico: Et in similibus semper unum ex conformi textu emergente casu dubio explicari.

Quot sint Vicariatus?

Ex Aurea Bulla sunt duo: Palatinus sive Bavaricus (juxta controversiam) & Saxonicus: Hic demùm ex A.B. per verba, *eodem jure provisionis frui volumus*, ex communi sententia introductus censetur. Sed ex Sigismundi Diplomate de anno 1414. *Besold. thes. pract. verb. Palas* refert, quòd

quod Electori Saxoniæ ratione Palatinatus, qui longè ante Auream nullam fuit, competat. Palatinatus autem ille non est Misniæ, sed Saxoniæ: Meminit ille Palatinatus Misniæ, cùm tamen non Misnia, sed Thuringia & Saxonia suum habuerint Palatinum, & differentiam utriusq; Vexilla Saxonica demonstrent: Palatinus enim Saxoniæ in suis insigniis duas aquilas; Thuringiæ Palatin. autem non nisi unam Aquilam cum cornibus in clypeo gerit. Quod verò Palatinatum Misniæ concernit, de illo non constat: Marchionatus enim Misniæ nihil quàm Burggravium habuit; qui & antè dimidium seculum votum & sessionem in Comitiis inter Principes adhuc habuit.

Ut autem eo revertar unde digressus sum: Vicariatus Saxoniæ antiquior est, quàm Palatinatus, quod ex temporibus Institutionum apparet. Quod Vicariatum Saxoniæ attinet, illum Otto I. cum tutela terrarú

ad

ad Vesarim, & Albim sitarum, unà cum Vandalis Hermanno de Stubekeshorn propè Soltaviam habitanti commisit, ultra proprietatem multorum bonorum largitus. *Spangenberg. in Chron. Mansfeld. c. 140. Albert. Crantz. l. 4. c. 8* Palatinatum autem Saxoniæ *Fridericus II.* Imperator primùm *instituisse* videtur in familiâ *Thuringica*: Ille enim consobrinum *Hermannum*, fratrem Ludovici Landgravii, fecit, & creavit Comitem Palatinum Saxoniæ: *Histor. Erphesford. de Landgrav. Thuring. c. 15. & 29.* De Palatin. Sax. plura addit *VVerdenhagen de Hans. Republ. p. 3. fol. 131. Reusn. Geneal. p. 268.*

Sed dubium quoad antiquitatem Vicariatus Saxonici hinc moveri posset, quòd *in constitutione Ludovici Bavari Im.* & paulò *ante* Imperium Caroli IV. ubi Vicariatum Imperii recenset, nulla Vicariatus Saxoniæ, sed solùm Palatini mentio fiat, *Goldast. tom. 3. const. anno 1339.*

Quo-

Quomodo partita sit Iurisdictio Vicariorum.

Quam primum decedit Imperator, ubi non est designatus Rex Romanorum, Judicium Imperiale aulicum statim obsignatur ab *Archiepiscopo Moguntino*. Judicium verò Cameræ manet apertum, illique transmittunt *Vicarii ambo* commune sigillum, quo edicta, mandata, processus, citationes, & similia signentur. Cumque novissimè maxima circa Vicariatum quæstio esset, quæ adhuc gliscit, repudiato Palatino receperunt Camerales sigillum Bavari, salvo tamen Jure El. Palatini.

In reliquis distinguuntur pro administratione Imperii juxta provincias Juris Franconici & Saxonici. Et quod Jus Germanicum attinet, illius principia non innotescunt; Credibile tamen est, illos moribus potiùs quàm scriptis legibus vixisse, quod & *Tacitus de moribus Germanorum*

norum prodit, cum ait, quod apud Germanos plus boni mores, quàm alibi bonæ leges valeant. Scripsit autem *Tacitus* illa tempore Adriani Imperatoris.

Primum in regno Francorum Lex *Salica* innotescere cœpit, sub Clodio Regis *Pharamundi filio* anno Christi 148. Hæc q; lex jus Franconicum *sive Salicum* indigitabatur, primum à natione, alterum à Salagasto illius compilatore. *Marcellin. lib.* 15. Et ex recentioribus id testatur *Reinec. in orat. de histor. p.* 12. sed rudes illæ erant legum rhapsodiæ, sicut & Longobardorum antiqua jura, quæ demùm circa tempora Rotharis Regis in Scripturam redigebantur. *Paulus VVarnefridus l.* 4. *c.* 44. uti & *idem de constitutionibus Frisonum* ante Christum natum promulgatis præsumi potest, quas tangit *Suffridus decad.* 1. quas tamen diversas ab illis, quas *Helmoldus* produxit, & secernendas esse, doctè *Heig. in quæst.* 7. *n.* 38. demonstrat.

Seque-

Sequebantur Friſones Franci, qui ſub Pharamundo Primo Rege anno Chriſti 420. ad ſcriptum jus confugerunt, *Godefrid. Viterb. in Chron. p. 17. in princ.* Germanica lingua ut primo Francorum ſermone primũ editum, *Ioh. Telus de rebus Gallic. l. 1. tit. de antiqu. Franc. leg. p. 8.* Originem tamen legis Salicæ ex veriore ſententia ad tempora Clodovæi, Childeberti & Clotarii primi refert *Heig. d. q. n. 40.* Erat præter legem Salicam & altera lex Burgundionum, *Gumbetta* appellata. *Til. d. l.*

Legi Salicæ plurima addidit Carolus M. *Avent. l. 4. p. 367.* Appellatur apud *eund. l. 5. p. 499.* Legis Salicæ horrendum carmen, quo cavetur, ut Epiſcopus, qui cum hoſte conſpirat, capite plectatur.

Dictus Carolus M. teſtante *Pragmatica Aquisgranenſi*, producta ab *Authore Inſtantiæ Moguntinæ pro lure Coronandi*, legem Saxonum, Noricorum, Suevorum, Francorum, Ripoa-

poatiorum, Salicorum distinxit, distinctam stabilivit: Hic separatur jus Salicum à Francico, cum quo supra confunditur. Sic & leges ab Ansegiso Abbate & Benedicto Levita collectæ, olim ab *Heroldo*, nunc *in annal. Pithœan. l. 6. c. 281.* editæ, abundanter demonstrant, eas ad Romanos, Francos, Alemannos, Bojaros, Saxones, Thuringos, Frisones, Gallos, Burgundiones, Britannos, Longobardos, Vascones, Beneventanos, Gothos & Hispanos directas fuisse. *Heig. quæst. 7. n. 45.*

Francicæ legi sub Carolo M. additur lex Saxonica pro populis Saxoniæ, quorum antiquior quàm tempore Diocletiani Imp. memoria r. ō celebratur, demonstrante *Heig. qu. 8. n. 10.* Carolus M. jus Saxonicum rudiore Minerva, prout apud Helmoldum invenitur, primum conscribi jussit. *Reinecc. in annal. fol. 63. 64.* Henricus Primus auxit: *Spangenberg. Chronic. Saxon. cap. 121. in fin. & cap. 125.*

Albin.

Albin. Chron. Miſn. p. 1. t. 11. p. 156. Otto primus leges dubias dilucidavit, obſoletas in uſum revocando & confirmando: *V. Vitikindus l. 2.* Landrecht *l. 3. art. 82. in princ. n. 2.* Otto II. valde ampliavit. Landrecht *in præfat. in princ. n. 2.* uſus Opera & *Commentario* Burckhardi de Margenfeld / *qui directorio & notis* primùm Jus Saxonicum *illuſtravit*, ut & ſtudio *cujusdam appellati* Gercke / qui directorium illud extendit: Quod & privilegium juri Weichbildico præfixum docet, de cujus fide hiſtoricâ ex optimis cauſis, quas apud Authorem videbis, dubitat *Heig. quæſt. 8. p. 1. n. 36. 37. 38. & ſeqq.* Cumque jam jus Saxonicum in vetere lingua Saxonica conſcriptum erat, primus ætate Friderici II. Imper. Comes Hoxerus à Falckenſtein & Nobilis Ecke à Rebkau in latinum & modernum Germanicum Idioma tranſtulit, ita docente validis rationibus *Heig. d. q. n. 48 & ſeqq.* Jusque illud Saxonicum non ſolùm Saxonibus,

xonibus, sed &, cum Ottones Bohemis, Polonis & Vandalis obediendi leges præscripserant, dictis his populis dederunt: *Weichbild. art.* 10. Et hinc est, quod adhuc Poloni tantam reverentiam juri Saxonico exhibeant. Jusque illud Saxonicum adhuc strictè observatur in partibus Saxoniæ, & primum distinguitur in suos articulos: Cui posteà additur Landrecht und Lehenrecht: Annexum est Weichbild / quod jus Saxonicum Municipale Magdeburgicum vocant: Confraternitatem hæc inter se alunt; Distinguuntur autem à jure Lubecensi non solum quoad diversa statuta, sed & quoad originē; illius enim fundamenta sub Henrico Saxone & Friderico I. Imperatore jacta esse testatur *Cranz. Vandal. l. 6. c. 26. 33. l. 7. c. 1. Saxon. lib. 7. c.* 41. *Metrop. l. 6. c.* 45. perfecta autem sub Friderico II. *Cranz. Vandal. l. 7. c.* 7. Parentque Juri Lubecensi, ex spontaneâ receptione, testante *Mævio in Comment. jur. Lubec. p. 1. q. 2. n.* 4.

omnes Megapolitanæ & Pomeraniæ occidentalis, quædam etiam Orientalis, omnes sub Episcopatu Caminensi sitæ, multæ Holsatiæ, Livoniæ, & nonnullæ Borussiæ civitates: Inprimis verò inter omnes Rostochium, Stralsund & Wismar, à quibus præteritis Principibus suis ad Civitatem Lubecensem ex antiquo jure appellatur, *Mæv. d. q. n.* 21, 22.

Sunt præter jus Francicum & Saxonicum, adhuc alia jura (hîc tamen de statutis non loquor, quæ penè innumera sunt) ut jus Suevicum à Saxonico & Franconico discretum, *Witikindus lib.* 1.

Fit & Slavici juris mentio apud *Pithœum in annal. anno Christi* 849. *p.* 44. & Italici Juris in Jure civili Romano memoria incidit, quod immunitatem tributorum concedebat; Quales erant Agrippinenses in Germania *l. in Lusitania* §. 2. *ff. de censib.* quod & in usucapionibus diversum quid inducebat, statuendo

brevius

breviustempus, postea sublatum, §. 1. *de Vsueap. in Instit. l. 1. C. de annal. except.*

Tempore Caroli M. tria fuisse jura, sub quibus reliqua comprehensa, nimirum Romana, Longobardica, & Salica, docet *Heig. p. 1 q. 7. n. 48.* Salica Galliæ remanserunt, ex Longobardicis *Saxonica* profluxerunt, *Romana planè in* desuetudinem abierunt, usq; dum illa Lotharius Saxo Imp. inventa in Civitate regni Neapolitani Amalfi à Pisanis, & postea à Florentiam translata, ope Werneri in lucem & usum retraxit, *Spangenb. Chron. Querfurt. c. 41.*

Hodiè præcipua Germaniæ jura sunt: Jus Saxonicum, Lubecense & Romanum: Quæ in illis non reperiuntur, hæc Romanum jus supplet.

De Franconico nihil mihi constat. Hoc interea extra dubium est, Caroli IV. tempore juxta jus Franconicum & Saxonicum Germaniam distinctam fuisse: Prout &

tempore Arnulphi Imp. anno 935. in Concilio Triburiensi diversa Germanorum memorantur statuta, nimirum Saxonum & Francorum; c. 1. 10. de sponsal. Francos autem tum temporis & Francones comprehendisse extra dubium est; sed Franconicum jus à Francico diversum fuisse tempore Caroli IV. nemo dubitat: Memorat enim Carolus in A B. t. 5. non jus Francicum, sed Franconicum, quod olim Francicũ Orientale ad differentiam Gallorum appellabatur.

De terris juris Franconici & Saxonici.

Terræ hæ pro effectu exercendi Vicariatus tempore Caroli IV. juxta duo jura partiebantur. Jus hic capit pro districtu Schilt/ *de Vicar. th. 13.* sunt autem terræ Vicariatus Saxonici, quas *Goldast. in Præfat.* der Reichs-Satzung enumerat, Polonia, Bohemia, Moravia, Lusatia, Sclavonia, Vandalia, Slesvvicum, Holsatia, Stor-

Stormaria, Ditmarsia, Pomerania Prussia, Livonia, Lithuania, Moscovia, Samogitia, Marchionatus Brandenburgensis, Misnia, Landgraviatus Thuringiæ, usque ad sylvam, superior & inferior Saxonia, Ducatus Brunsvicensis & Luneburgensis, cum *superiore & inferiore Circulo Saxonico.*

Polonia & Sclavonia separata *jam ab Imperio* Romano regna sunt. Slesvicum cum quibusdam parvis adjacentibus insulis Duc. Holsatiæ à Regno Daniæ jure feudi antehac dependuit. Prussia partim supremum Poloniæ Regni, partim Electoris Brandeburgensis dominium veneratur, scissa in Regiam & Ducalem, ope Alberti Brandeburgensis *& Magisterio Ordinis* Teutonici *Imperio subtracta. Livonia* primum Magistris Crucigeris extorta, partim inter Moscos & Polonos dividebatur, hodiè Suecis, jure belli, Polonis adempta, paret : Quod

trans Dunam est supremæ jurisdictioni & dominio Poloniæ exceptis quibusdam pauculis subest; Aliquid Moſci possident. Lituania sub Jagellione in titulum Magni Ducatus Poloniæ inserebatur, Moscovia suũ Magnum Ducem habet, qui *solum Deum superiorem recognoscit.* Samogitia annexum quid Regni Poloniæ est, sicque hæ terræ Vicariatui Imperii amplius non parent.

Quid de Dithmarsia: & quidem illam adhuc esse feudum Imperii testantur diplomata investiturarum collata Regibus Daniæ à tempore Friderici III. Imp. & Christierni I. Regis Daniæ; Prætenditque dictam Provinciam ex capite donationis Sigefrido Archiepiscopo Bremensi factæ à Friderico I. Imp. anno 1180. Rex Sueciæ ratione Ducatus Bremensis, in quam tamen nunc renunciavit.

An & Vicariatus Saxonicus in Satrapiis Ostfrisiæ, Essena nimirum & Widmunda locum habeat, novissimè

mè in interregno in causa aliquâ tactum memini. Alii illud ut Burgundiæ feudum ita ab Imperio exemptum, alii feudum illud Imperii immediatum, & licet mediatum, quod Burgundiæ tamen feudum sit, Burgundiam adhuc esse membrum Imperii, quare non & illius annexum. *Knipscild in suo tractatu de Civitat. Imperial. l. 3. c. 6.* adducit dictas duas Satrapias olim Dn. Comites Oostfrisiæ à Senatu Bremensi recognovisse; sed ex quo id habeat, non meminit.

Quod Civitatem Embdam concernit, illa sub Eduardo Comite erecto prius pacto Delfzilensi, vigore cujus certum quid in protectionis lytrum Comiti antiquo suo Domino stipulati erant; tandem se & contra Comitem & S. Romanum Imperium in libertatem vindicarunt, spernendo Commissiones Edicta & Mandata Imperialia, recipiendo militem & protectorem Batavũ liberũ &

confœderatum civem R. I. anno 1603. §. Vnd nach dem wir. *Buxtorff. in tr. Vicariatus*, Haſſiam juri Saxonico accenſet, ſed fallitur, reprehendente *Limnæo, Schüzio & Arumæo*, cùm nec jus Saxonicum ibi in uſu ſit, nec illius Circuli Saxonici Haſſia pars ſit, utpote quæ ad Circulum Rhenanum ſuperiorem pertinet. In Ducatu Brunſvvicenſi, Lüneburgenſi, Pomeraniæ & Megapolitano, ut & Ducatu Bremenſi, licet nõ jus Saxonicum ſed Civile ibi practicetur, ex teſtimonio *Conſil. Marpurg. 22. vol. 3. n. 186. Limnæi, Arumæi & Schüzii in jure publico*; tamen cùm demonſtrationis cauſa magis, quam pro cauſa Privilegii jus adjectum ſit, juxta *Arumæum ad A. B. th. 29.* ibi & Vicariatum Saxonicum receptũ eſſe, docet *Schüzius de Vicar. th. 13. circa finem.*

Quid de tractu Coburgico, & Comitatu Hennebergico?

Et quidem illum in tractu Franciæ Orientalis, hunc ſub Circulo Fran-

Franconico ſitum eſſe, clarè conſtat: Hicque Plato quieſcere jubet.

Terras verò alterius Vicariatus enumerat *Gold. eod. loc.* nimirum à principio Danubii uſque ad fines Ungariæ, ab initio Rheni uſque in mare Britannicum, ſeu potiùs uſq; ad limites *Statuum fœderatorum*, qui Imperium Romanum eodem tempore, quo ſe Hiſpaniæ ſubtraxerunt, excuſſerunt, cum circulo Rhenano ſuperiore & inferiore, item Bavarico, Franconico, Auſtriaco, & Weſtphalico: Tirolios, Bavaros, Carinthiacos, Carniacos, Stirios, Auſtriacos, Valeſios, Burgũdos &c. Excipiuntur Sabaudi, qui ſpecialem Vicariatum habent, de quo infra. Excipimus item Helvetiorum tredecim Cantones, Rhætos cum ſubjecta Valtelinia: Ambo ſe fecerunt ab Imperio liberos, & ſuimet ipſius dominos: Helvetiorum libertas, quæ ab Alberti I. Imp. tempore incepit, ſenſim pluribus aſſumptis populis, & quidem ultimo inter omnes

tempore Maximiliani I. Imp. Basilea adhuc recepta, confirmata est à Germanis in *Instrum. Pac. Suec.* §. 6. nimirum quoad possessorium, quod his innuitur: *In possessione vel quasi libertatis & exemptionis ab Imperio esse.* Sunt autem 1. Zürch/ 2. Bern/ 3. Lucern / 4. Uri / 5. Schweitz/ 6. Underwalden/ 7. Zug/ 8. Glaris/ 9. Basel. 10. Friburg / 11. Solothurn / 12. Schafhausen/ 13. Appenzel. Primi jecerunt libertatis initia Svvizenses, Urenses, & Undervvaldenses contra Præfectorum crudelitatem sub Alberto I anno 1308. His anno 1332. Zürch & Glaris/anno 1352. Zug/anno 1353. Bern/accesserunt: manseruntq; per 125. annos soli in fœdere perpetuo vulgò die acht alte Orter. Anno 1481. Friburg & Solothurn/a. 1501. Basel & Schafhausen/& tandē a. 1502. Appenzel accessit. Prima inter omnes est Tiguri civitas, quæ & cōvocat & dirigit in diæta publica. Proximaque est Bernensium Urbs, quæ licet seriùs in fœdus venerit, ob

poten-

potentiam tamen, cùm longè lateq; dominetur, 40. oppida sub se habens, illum locum obtinuit. *Fesch. de fœderib. th.* 9. *Simler. de Republ. Helvet. lib.* 1. Suntque hi omnes liberi, & ab Imperio in puncto possessorii, ut supra memini, exempti.

Quod Rhætos attinet, de his in Instrumento Pacis nihil cautum reperitur, & hinc salva manet Imperio in illos ratione superioritatis præsidio.

Quid de Confœderatis Cantonum dicendum est?

Confœderati autem Cantonum sunt 1. dicti Rhæti, sub quorum jurisdictione Vallis Telina, feracissima frugum & vini terra est. 2. Vallenses cum Episcopo Seduni, cive adhuc & Episcopo Romani Imperii. 3. Abbas S. Galli, à cujus ditione se Civitas S. Galli, & ille se ab Imperio extraxit, sed oprimè à dictâ Civitate emunctus; Nec Abbas, nec Civitas magis Imperio parent. 4. Geneva, quæ perpetuum cum Tigurinis & Bernatibus fœdus pe-

pigit, liberamq; se profitetur Rempublicam. 5. Mûlhusa, & Rotvvila, sunt adhuc sub Imperio, non obstante fœdere perpetuo, quod cum Cantonibus concluserunt, eandemque conditionem Bila agnoscit, quę ad *Episcopum Basilienſem pertinet.*

Exempta item sunt ab Imperio per pacificationem *Gallicam* anno *1448. quoad jurisdictionem, superioritatem*, & Regalia.

(1) Civitas Brisacum (2) Landgraviatus Alsatiæ (3) Suntgovia. (4) Præfectura decem Alsatiæ civitatum, salva tamen illarum libertate & statu Imperii. Quæ sint civitates vide *in Instrum. Gall.* Drittens thun die Käyserl. Majest. (5) Jura superioritatis in Episcopatum Metensem, Tullensem & Vetdunensem, salvo jure Metropolitano Archiepiscopi Trevirensis. (6) Protectio Philippolis in Episcopatu Spirensi cum custodia, & passaggio. (7) Pinarola inter Alpes, quàm à Sabaudo Rex Galliæ emit. *Instr. Pac. Gallic.* §. fürs ander.

Vica-

Vicarii an omnia possint, quæ & Imperator.

Affirmat *Schutzius*: Negat *Limnæus*; Uterque validis suam opinionem propugnat argumentis. Schutzius affirmativam *ex l.1. & 2. C. de Offic.ej. qui vic. alic.* deducit, illaque licita Vicarii esse censet, quæ non prohibita sunt. Alter *l.1. C. de Offic. Vicar.* & illi principio innititur quòd specialiter concessa in A. B. restringant potestatem Vicariorum, cùm specialia generalibus derogent. *l.12. ff. de judic. l.99. §. si alii verna. ff. de legat. 3.* Ultra quod delegatis amplius non competat, quam expressum sit. *l. diligenter. ff. mandat. c. cum olim 32 10. de Offic. deleg.*

Posterius quidem non satis aptè huc quadrat, cùm Vicarii gerant ordinariam & nō delegatam potestatem utpote datam lege A.B. Illud autem quod lege datur pro Ordinaria potestate capitur, cùm hæc jure proprio competat, *l. more majorum, ff. de jurisdict.*

In prima sententia hoc desideratur, quod videas poni in *l. 2. C. de offic. ej. qui vic. alic. jud.* illa formalia, *& omnia, quæ ad jurisdictionem rectoris provinciæ pertinent*: Hic additur universale, per vocab. *Omnia*. Sed quomodò illud ad textum Aur. B. ubi illud *omnia* omittitur, aptari possit, ego ignoro.

Aliàs ut liberè meam opinionem explicem, Vicarium Principis omnia illa posse, quæ & principem, dictitat *Steph. Grat. discept. forens. tom. 1. cap. 106. num. 16.* ubi adducit plures consentientes authores.

Hæcque opinio cum consuetudine nostra se conformat: Videmus Vicarios plura expedire, quàm in Aur. B. speciatim expressum est, uti Equites, Comites Palatinos creare, quinquennalia indulgere, & quæ sunt alia reservata. Vide *Schützium in suo Iure publico vol. 1. disp. 5. th. 12. l. 6.*

Spe-

Species expressæ in A. B. sunt sequentes:

Inquit Carolus IV. *t.* 5. cum potestate judicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus & proventus, & investiendi de feudis, Juramenta fidelitatis vice & nomine Sacri Imperii recipiendi, &c. Feudis Principum duntaxat exceptis, & aliis, quæ Fahnlehen vulgariter appellantur, quorum Investituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reservamus.

(1) Potestas Judicia exercendi nimirum suprema & vice Cæsaris. Suntque illa duo vel universalia nimirum conjunctim, Ut *Spirense Camerale judicium*, quod simul & inseparabiliter duo Vicarii Imperii exercent Quod Aulicum Cæsareum judicium attinet, illud clauditur ab Archi Episcopo Moguntino, nec ante creationem novi Imperatoris reseratur.

Illud

Illud verò judicium, quod singuli Vicarii in diversis, & juxta duo jura nimirum Saxonicum & Franconicum partitis provinciis agunt, appellant Regimen Vicariatus.

(I.) Ad beneficia Ecclesiastica præsentare, significat jus primarum precum, quod Vicariis eodem jure competit, quo id Cæsar habet. Cæsar autem eo fruitur indifferenter in Catholicis & Augustanæ Confessionis tàm mediatis vel immediatis Ecclesiasticis sodalitiis, prout id declaratur in *Instrumento Pacis Suec. t. 5. §. Vbi Sacra Cæsarea Majestas.*

Habentque illæ nominationes sive primariæ preces locum in omnibus beneficiis, sive regularibus, sive secularibus, sive curatis sive non curatis, & in singulis ecclesiis; etiamsi beneficia generaliter Pontifici reservata existant. Ultra tamen unum beneficium singulæ Ecclesiæ gravari nequeunt;

Nec

Nec admittuntur, ubi collatores quatuor beneficia ecclesiastica conferre non habent: Sic nominati intra mensem, postquam ipsis vocatis hujusmodi beneficiorum præsentatio innotuerit, sub pœna perditionis acceptare tenentur. Nec obest, quamvis nominatæ personæ jamjam in illa ecclesia alio beneficio gaudeant. *Vorburgi Trismegist. Canonic. in prec. primar.* formula edita â Paulo V. PP. Ferdinando II. Imp.

III. Recolligere reditus & proventus; sed non consumere, ait *Arumæus ad A. B. discurs. 3. th. 36.* eà motus ratione, Rempublicam gaudere jure minorum *l. 4. C. ex quibus causis major. l. 3. C. de jur. Reipubl.* tutoribus verò pupillorum reditus percipiendi, non consumendi potestatem cõcessam, *l. qui negotiationem ff. de admin. tutor. l. in eos ff. de tutel. l. à tutoribus §. principal. d. t. de admin. tut.* nec solum non consumere, sed & ita in causam pupilli erogare, ut

ut semper aliquid ex reditu supersit, *l. jus alimentorum ff. ubi pupil. educ.* Reditus autem Imperii, qui tempore Friderici I. Imp. ex Germania & Italia sexaginta tonnas auri constituebant, hodie ferè nulli sunt, *nisi* Collectæ *Imperiales* vulgò *Römer-Monat ex consensu Statuum* Imperii tribuantur. *Dieterici us ad A. B. tit. 5. §. recolligendi.* Adeoq; tenues sunt Imperii proventus, *quod &* Maximilianus I. apud Fridericum II. Palatinum conquestus fuerat, domum Austriacam consideratione Imperii, ex quo nihil tamen traheret, tot millionibus debitorum se oneraſſe, referente *Huberto Leod. in Vita Friderici I. Elect. Palat.* Quale responsum Philippus Landgravius Hassiæ Granvellano tempore Caroli V. simile exprobranti regesserit, prodit *Sleidanus l. 17.*

Præter collectas Imperii vulgò Römer-Monat / quæ olim pendebantur ad expeditionem Romanam, quando Imperator ultra Alpes

ad

ad Coronam Romanam accipiendam proficiscebatur, & in hominibus primùm, non pecuniâ solvebantur, ita ut ad viginti millia peditum & quatuor millia equitũ excurreret; fuit & modus particularis anno demum 1495. inventus, quo in Communem denarium, uti appellabant, omnes cujuscunq; sexus, dignitatis & status, pro conditione bonorum collectabantur.

Et modus hic reiterabatur anno 1542. & 44. sed per seculum & plus desiit, cum tarditas exactionis impedimento esset negotiis. Maluerunt retinere collectam illam Imperialem, quamvis non adeò promptam, magis tamen certam, licet hæc altius ascendat.

Collectæ verò Romanæ initium ad Caroli Crassi tempora refert *Marq. Freher. in cap. Carol. Crassi Imp.* quotque tum loricas quis tenuerit, apud illum videbis: Moderatum sanè fuit collectandi genus: Ibi, quod incidenter meminero, prima feudi men-

mentio fit, quod alii longè post, & ad tempora Friderici I. Imp. referunt. Constat exhinc, antiquiorem esse collectam Imperialem, quam communem denarium, quē vocant; Posterior enim non nisi à tempore Friderici III. Imp. cognosci cœpit, & demùm post illa tempora, cùm Constantinopolis sedes Orientalis Imperii capi, & post duodecim regna subjugata, demùm Ungaria invadi, duæque tertiæ alìò migrare cæperunt, tum demùm & quidem anno 1471. post longam concertationem Statuum, collectæ denarii communis tandem introduci, anno 1474. in diæta Augustana, 1486. in Francofurtensi conventu, ann. eod. apud Norinbergenses, anno 1489. in Francofurtēsibus repeti, & posteà anno 1495. sub Maximiliano I. solenni lege sanciri, usq; ad annum 1544. observari, post quam ætatem quievit; subrogatâ collectâ expeditionis Romanæ. Cujus quantum sæpius variavit: In Comitiis anni 1663.

per

per majora Collegiorum usque ad 50. menses à Statibus promissum, & quomodo juxta diversa tempora ad diversa quanta redactum fuerit, cognosces ex voto L. in Comitiis modernis ducto: Ita illud: wolten Sie 16. R. M. pro futuro in casum belli beytragen / Es were offtmahln weniger dann dieses bewilliget worden / inmassen dann anno 1541. zu Regenspurg nur drey Monat zur Türcken-Hülff / Item anno 1548. zu Augspurg 6. Monat / anno 1551. wieder zu Augspurg 6. Monat / anno 1557. zu Regenspurg 16. Monat in einem Jahr zu zweyen Fristen / Ostern und Johannis. Anno 1566. zu Augspurg 24. Monat in einem Jahr vier Termin. Anno 1566. 67. 68. zu Augspurg beharrliche Türcken-Hülff in 4. Jahren. Anno 1576. Regenspurgisch defensiv-Hülffe 60. Röm. Monate in 6. Jahren. Anno 1582. Augspurgischer Türcken-Hülffe / 40. in 5. Jahren. Anno 1594.

Re-

Regenspurgische eylende 20. in einem Jahr beharrliche 60. in 5. Jahren. Anno 1598. Regenspurgische 49. in 3. Jahren. Anno 1603. Regenspurgische 86. in 4. Jahren. Anno 1613. von den Catholischen allein zu Regenspurg 30. in 2. Jahren.

Quæ autem differentia inter utrunq; illum antiquum collectandi modum sit, patebit non solum ex differentia quanti, sed & ex personarum collectandarum ratione, ut & diverso collectandi modo. Taceo causam collectæ communis denarii, in quo notabis, quod ex R. I. super communi denario de anno 1495. in init: Causa hujus collectæ ponatur, non solùm Turcica invasio Ungariæ, sed & quælibet hostis Germanici necessitas, in *pr. d. R.* ibi, zu Widerstand der Türcken/und andern Anfechtern des heiligen Reichs und Teutscher Nation.

CA-

Cap. XII.

De communi denario.

Subjiciuntur communi denario Omnes personæ cujuscunque sexus & ætatis, cujuscunque Status sive ecclesiastici, sive secularis, sive sint Ordines, sive Clerici, sive singuli sive universi, sive exempti sive non exempti, non obstante statuto, privilegio, pacto seu quocunq; alio: In summa, contra hoc telum non valet ullum antidotum.

Simul domini & subditi contribuunt, nec ulli parcitur.

Quantum verò illius census tale est.

De mille summæ capitalis, & quinquaginta reditus annui penduntur quinq; de centum capitalis summæ dimidius florenus à Christiano, à Judæo florenus, ab usurariis quod ultra quinquaginta reditus excurrit decimus, ut & ab omnibus Statibus, quicunque sint, & aliis me-

mediatis sive Principibus, sive Comitibus, sive communitatibus, nec exceptis piis locis, Ecclesiis hospitalibus, & similis conditionis, ita ut & de pensionibus, reservatis, distributionibus quotidianis, & quibuscunque aliis pendatur, prædicto modo. A viginti florenis rustici 6. crucigeros, quod infra erat, 4. pendebant. Excipiuntur jocalia, vestimenta, supellex necessaria, & ultrà hoc apud equitem & nobilem equi & apparatus bellicus.

Ut autem explorentur media,

Invenerunt Status anno 1495. juramentum, ut quilibet, in præsentia sacerdotis ex bona fide & juramento contribuat, *d. R. commun. den. 1495. tit.* Vor der Einnahm/ *ibi*, bey ihrem Gelübd und Eyd/ licet postmodum anno 1542. & 44. solum fidei, qua quis Imperio & Superiori astrictus est, mentio fiat: Nec hic Juramenti specialis memoria incidit.

Sed

Sed tardior erat ille modus, quam ut rei sufficeret.

Proinde ad magis facilitandum negotium anno 1542. & 44. observabis conjunctam expeditionem Romanam cum communi denario & quidem tali sorte, quod Status Imperii ex sua bursa juxta matriculam anni 1521. & modum anni trigesimi secundi militem & mittere & sustentare tenerentur, expensis ex communi denario recollectis. Sique propriæ terræ non sufficiebant, reliquarum adjacentium debiti proventus communis denarii succurrebant: Ita anno 1542. & 44. illa conjuncta legimus, ut primum præscriptio matriculæ 1521. juxta expeditionem Romanam præmittatur, hancque juvet communis denarius, ita ut quilibet Status juxta matriculam anni 1521. & præstationem anni 32. militem dederint, & suis sumptibus sustentarint, quos tamen rursus ex communi denario receperunt, ex manu collectorum,

qui ubi propriæ terræ Principis qui expensas tulerat, sufficiebant proventus; ex illis primum solvebantur, reliquum ex vicinia supplebatur. R. l. anno 1542. § Wann nun aber. §. Und damit Niemand. §. Und damit solches alles desto gewisser. *Subministrabant Status militem, & una cum suis subditis & aliis denarium communem pendebant, ita ut quilibet ex propriis suis solveret, nec Statui licitum erat in communi denario suum subditum onerare. R.* 1542. § Und nemlich sollen alle und jede. §. Es sollen auch alle Chur-Fürsten / *ibi*, allein von solchen ihren eignen und ihrer communen gemeinen Gülten / Renten und Einkommen reichen und geben / ihrer Unterthanen hierin ganz verschont. *Exceptis bonis rusticorum, in quibus id ab antiquo receptum est. R. l. anno* 1542. §. Damit auch solcher Ordnung / *ibi*, doch sollen deren Bauern.

Res verò quæ collectæ communis denarii subsunt, enumerantur sequentes.

1. Omnia sive mobilia sive immobilia R. *anno* 1542. §. Und nemlich sollen alle und jede Chur-Fürsten citra distinctionem personarum & rerum, nach ihren jährlichen Einkomen/ an Gülten und Zinsen/neben ihren andern Gütern/Baarschafften und Vorrath/cujuscunq; etiam cõtribuentes dignitatis sint *R.* 1542. §. Und nach dem der Chur-Fürsten.

2. Pensiones, reservata, præbendæ, dignitates, omnesque ecclesiastici reditus §. Deßgleichen sollen auch. *d. R.*

3. Salaria & mercedes *R.* 1542. §. Und wiewol wissentlich war.

Excipiuntur

1. Vestimenta, Jocalia, & vasa argentea, & alia suppellex necessaria pro cujuscunq; Statu & conditione R. *anno* 1542. §. Doch sollen in solchen Anschlag.

2. Apud Proceres, Nobiles, & Milites, equi, arma, bombardæ, pulvis tormentarius, & quæ sunt alia annexa apparatus bellici. *d.* §.

3. Ornatus ecclesiasticus *R. I. anno* 1542. § aber die Kirchen. Kleinodter utpote qui ultimæ necessitati pro thesauro reservatur. *d.* §.

Quantum census.

In mille florenis summæ capitalis ad quinque florenos, computato floreno quindecim bacis, sive sexaginta cruceris, seu unde viginti argenteis grossis. *R.* 1542. §. und nemlich sollen alle und jede / ex centum florenis dimidius *d.* §. ex viginti florenis sex crucigeri, quod infra est, quatuor crucigeri dantur §. Welcher aber unter hundert Gülden werth. *d. R.* In Proceribus mille floreni annui reditus faciunt summam viginti millium fl. & quod libet millenarium summæ capitalis quinque florenos *R. anno* 1541. §. und nach dem der Churfürsten.

Sta-

Status ex annuis proventibus decimum nummum solvunt *d. R.* 1542. §. Und dieweil umb funffzig Gulden.

Ut & conventus, collegia, sodalitia ecclesiastica, ordines, equites Teutonici & Maltenses, hospitalia Ecclesiæ &c. §. Und zu diesem Christlichen. §. *duo.* hoc observato, quod decimum nummum, ex pensionibus, *reservatis* & competentiis dans retinere, & sic debitor exactori solvere teneatur *R.* 1542. §. Und damit von solchen pensionen. Academiæ, Universitates, & Facultates, Tribus, & quæcunque sodalitia de proventibus quinquaginta florenorum, prout supra, quinque debursant §. Die Frey- und Reichs-Städt *d. R.* Et reliqui de eo, quod superabundat quinquaginta florenos ex mille summæ capitalis, decimam pendunt *d. R* §. *eod.* De Salariis pro centum exigitur annuatim dimidius florenus, usque ad quindecim florenos,

quod illam summam non tangit, francum est: Servi verò & ancillæ de quolibet floreno annuatim crucerum contribuunt *R. anno* 1542. §. Und wiewol wissentlich war. *circa fin.* §. Judæi ultra quod de centum summæ capitalis florenum *in initio collectæ*, & *viritim citra* differentiam ætatis & sexus florenum dant, & *divites pro pauperibus* contribuere tenentur; *R. anno* 1542. §. Item die Juden: Sicque respectu Judæorum communis denarius capitatio quædam est, cum ex capitibus etiam exigatur.

De quanto, quatenus auctum fuerit.

Anno 1495. sub Maximiliano I. sicut & supra quinquaginta floreni annui reditus censebantur pro mille florenis summæ capitalis. *R. l. de anno* 1495. von dem gemeinen Pfennig. §. Item, es sollen auch in solchen fünff und zwantzig Reinische Gülden.

In

In hac tamen ratione census,

Inter annum 1495. & ann. 1542. est differentia, quod anno posteriore in mille florenos summæ capitalis quinque, anno verò 1495. non nisi unus solutus fuerit. *R. anno* 1495. von gemeinen Pfennig. §. Nemlich/ wer an Werth/ *cum* §. *seq.*

Qui *infra quingentos* possidebat *florenos*, nec decimum quintum annum attigerat, liber erat: Qui verò decimi quinti anni erat, anno 1495. si infra quingentos florenos habebat, vigesimam quartam floreni partem exhibebat. *R. d.* §. Welcher aber unter: Et sic hic ætatis consideratio adhibetur, cujus in *R. ann.* 1542. nulla vestigia exstant.

Ætas autem, quod unquam in jure Romano *pro dandis collectis* distincta fuerit, non reperio, licet diversum in jure Hebræo inveniatur, ubi omnes nullo excepto, qui ætatis annum vigesimum compleverant, semel tãtum sicli dimidium

pro expiatione animarum *Exod.* 30. *v.* 12. & constructione tabernaculi *Exod.* 38. *vers.* 27. pendebant. Idque quia servi legis erant. *Wesenbec. in Cynosura liturg. concl.* 7. §. 5. Siclus autem ille erat templi. *Exod. cap.* 30. *vers.* 12. *& seq.* qui facit nostræ monetæ dimidium thalerum. *Buntingus de monet. sacr. scriptur. p.* 4.

Observabis 2. id differentiæ, quod Status, Proceres & Civitates jubeantur aliquid plus tribuere quàm alii privati. *R. com den.* 1495. §. Item Fürsten/cujus *an.* 1542. *&* 44. altum silentium est, ubi discutiuntur ex certo bonorum reditu, quod *ann.* 1495. determinatum in Proceribus verè non est, ex illo §. nisi huic §. opponere velis initium *d. R. ibi*, wes Würdens / Stands / Ordens oder Wesens.

Notabis 3. quod anno 1542. & 44. expeditio Romana concurrat cum communi denario, quod ann. 1495. non erat sic.

Lo-

Locus collectandæ.

Est domicilium; Sic in loco habitationis singuli collectantur, de bonis ubivis etiam in alieno territorio sitis *R. an.* 1542. §. und damit von solchen Pensionen. §. dieweil aber etliche / *ibi*, an dem Ort da er gesessen ist. Quod limita *in personis* Ecclesiasticis, quæ habitant in civitatibus diversi à *suo Episcopo* circuli, quæ *non in loco* domicilii sed in circulo sui Episcopi collectantur. *R. I.* 1542. §. damit auch solcher Ordnung.

Pro explorandis cujuslibet mediis,

Inventum est in *R. d. comm. den.* 1495. ut à quovis mediante juramento per collectores in præsentia Presbyteri exigatur. *d. R. d.* §. die Einnahm. Quod juramentum versum est in bonam fidem in *R.* 1542. also sollen auch die Bürger / *ibi* bey den Pflichten / damit er seiner ordentlichen Obrigkeit zugethan / auff sein Treu und Glauben und Christlich Gewissen bezahlen / ut & sub eadem

formula in arcam collectarum Status Imperii & alii Proceres injiciunt *R. d. §.* Dieweil aber etliche Beschwerungen.

Exactores ad exigendum communem denarium,

Fuerunt vel supremi, & in quolibet circulo sex, vel medii, ut Ober-Einnehmer & gemeine Einnehmer/ vel infimi Unter-Einnehmer. Singuli Exactores decem Circulorum, in singulis Circulis constituebantur sex; lecti à Circulo, prius relaxato juramento, quo aliis astricti erant, & circulo, cujus ratiocinia gerunt, speciali juramento devincti: Creabatur unus ab Electoribus, & unus à Principibus secularibus, tertius à Prælatis, quartus à Comitibus, quintus à Nobilibus, sextus à Civitatibus. *R.* 1542. §. Dieweil aber beschwerlich.

Officium illorum erat:

I. Den gemeinen und Ober-Einnehmern certum diem & locum,

quæ

quæ prius designantur à Circulo, dicere, quo pecuniam collectam ferant. Ubi tulerunt, non numeratam Medii Exactores in præsentia Exactorum Circuli in arcam injiciunt, seu potius Exactores Circulorum id peragunt, mediiq; collectoris dati apocham accipiunt, relicta simul descriptione personarum contribuentium, & contumacium: Arcæ illius sex serraturas singuli Circuli Exactores habent & custodiunt *R. I. anno* 1542. §. Und sol ein jeder Creyß/ *§. seq.*

II. Alterum munus Exactorum est, cuivis Statui expensas erogatas & detrahere & restituere, ac sui Circuli militibus salaria per cujusvis Circuli Consiliarium bellicum consignare *R. an.* 1542. §. Wir setzen/ ordnen und wollē/ daß eines jeden Creyß. Superiores discussores vulgò Ober-Einnehmer in singulis Principatibus à Principe cum consensu der Landschafft / inferiores autem exactores alias die Untereinnehmer in Satrapiis

pro colligenda pecunia prius Principi & Statibus provincialibus juramento devincti destinantur, qui certo præfixo die assignato locopecuniam accipiunt, apocham accepti reddunt, acceptam custodiunt, personas singulas in Uberantwortung der Anlag/ & contribuentes & contumaces describunt, & quæ sunt alia officii hujus annexa *R. I. anno* 1542. §. Dann so sol auch. §. Damit nun dieser Christliche Anschlag *cum* §. §. *seqq.*

Constituuntur numero quatuor. Infimi mediis, Medii supremis exactoribus acceptũ restituunt. V. *d. l.*

Ita procedebatur in communi denario.

Qui tamen ob tarditatem culpatur, magis in eo expeditioni Romanæ præferendus, quod ex eo ducenta hominum millia legi & sustentari queant, exactio autem expeditionis Romanæ ultra viginti mille pedites & quatuor mille equites non excurrat.

Nec

Nec perpetuus erat ille communis denarius. Anno 1495. indicante *Recessu d. anni* communis denarius ad quatuor annos, dehinc ad triennium prorogabatur. *R. ann.* 1542. §. Daneben haben.

CAPUT XIII.

De Collecta Romana.

SUrrogata est post annum 1544. collecta expeditionis Romanæ explosa societate denarii communis, qui & hactenus in desuetudinem abiit. Collecta autem illa non amplius nostro seculo datur in hominibus, uti præstabatur illo tempore, cum adhuc conjungeretur cum communi denario, sed ob faciliorem & promptiorem expeditionem à *quolibet Statu Imperii* juxta præscriptam à lege summam penditur civitatibus quas die Legstät appellant; Suntq; tales Augspurg/ Nürnberg/ Francfurt/ Straßburg/ Leipzig. A quibus postea Viennam

mittitur. Non desumunt Status hanc pecuniam ex proprio seu domanio, sicut faciebant in communi denario, sed solvunt ex collectis subditorum, quas illis non tamen ad majorem summam subditis hoc in casu imponere licet; priusquam postulant, causam indicent, necesse est, citra cujus expressionem imperata negare subditis conceditur. Si qui contumaces in contribuendo sunt, puniuntur, uti & factum in communi denario. Si Status vel Proceres in contumaciam impingunt, in bannum Imperii incidunt seculares nimirum, secus est in Ecclesiasticis qui privatione privilegiorum, dignitatis & regalium, mulctantur. Si subditi sint, duplo exsolvendi quanti puniuntur, ad executionem mediantibus monitoriis & mandatis, & auxiliante summaria cognitione, & procedente Fiscali Imperii.

CA-

Cap. XIV.

De Matricula.

Summa quæ penditur, ex variis matriculis variat.

Matricula quidem anni 1521. recepta & probativa est, tam affirmativè, quàm negativè ad probandum & negandum Imperii Statum ex *R. I. anno* 1594. wann auch bey voriger tractation; idq; extra dubium ponitur. Sed quoad summam contribuendi derogant posteriores prioribus, uti ipse *ille* Recessus *ann.* 1594. meminit, moderationem factam esse derogatoriam anni 1521. per ann. 1545. 57. 67. 71. 77. Et quidem matriculæ post illam de anno 1521.

Præcipuæ *sunt matriculæ anni* 1577. an. 1593. & ultima repartitio Norimbergensis anno 1652. hæc tamen pro effectu satisfactionis Suecicæ magis, quam ut in vim perpetuæ legis valeat.

De

De antiquitate matriculatum obscura historia est: Innuit quidem *Avent. l. 4 p.* (*m*)405. Ludovicum Pium primam concinnasse matriculam inter Imperatores Occidentis, quod hisce significat. *Centum principes convocat, urbes, oppida, castella, Imperii membra* in libellum redigunt, *deinde in* Tetrarchias dividunt. *Hic primum* videtur nata matricula, magis tamen ad demonstranda Imperii membra, quam pro declaranda collectarum summa. Et album Imperii primùm sub Sigismundo anno 1431. esse natum, reiteratum anno 1466. repetitum anno 1467. perfectiorem editum à Friderico III. anno 1471. quem *Goldast. in constit. mpp. p.* 13. 13. *&* 14. exhibet, communis opinio est. Matriculam Friderici III. sequuntur matriculæ anni 1480. 1521. 1577. 1593. 1652. *Conringius in acroamatibus Reipubl. Imp.* 1. *p.* 20. meminit matricularum anni 1481. 86. 87. 89. 91. & 1507.

Quod

Quod originem matriculæ attinet, testatur *Math. Dresser in Chron. Saxon.* Ottonis IV. tempore nullam adhuc fuisse. Credo lubenter illa, quæ certò demonstrari nequeunt, ne authorem contemnere videar.

CAPUT XV.

De Reditibus Imperii.

Viq; in viam regrediar.

TRactando de reditibus Imperii. Reditus communis denarii post annum 1544. exolevit. Proventus collectionis Romanæ remansit, in quo hoc dubium moveri posset, quod si illa collecta à Statibus Imperii conceditur (an per majora, an per singula, sub judice lis adhuc est) num ab Imperatore præcisè pecunia postulari queat.

Cum in electione debitoris sit, ex alternativis, quid voluerit, solvere, & hic communem regulam sequimur.

Si

Si initium & quidem longè post adhuc annum 1542. & 44. aspicimus, non in alio quàm in hominibus & militibus solutum illud fuisse observabimus, computato in mensem equite pro duodecim, *pedite* æstimato *quatuor*, & *cataphracto equite octodecim florenis*: Uti patet ex *R. I. ann.* 1542.

Cætera emolumenta Imperii sunt collectæ civitatum Imperialium, quas *steuras* vocant, sed partim per alienationem, partim per oppignorationem, partim donatione ita decreverunt, ut vix ad viginti millia ascendant. *Knipschild de Civit. Imp. l.2. c.17. n.21.22.* Reliquum quod est, ad taxam Cancellariæ refertur: Illaq; taxa vel in processibus, vel in gratiis, vel renovandis privilegiis & investituris, vel concedendis titulis consistit: Sed in hæreditariis & sustentandis officiis Cancellariæ insumitur, & prout constat quoad processus ex usu & quoad reliqua ex *A. B. Car. IV. tit.29.* non solum

Ele-

Electores à taxa investituræ exempti sunt, sed & aliqui Principes & Status privilegium immunitatis obtinuerunt, *A. B. d. l.* inter quos *Limnæus tom. 5. l. 4. c. 7.* Abbatem Fuldensem refert.

Est & aliud emolumentum à Judæis inferre cõsuetum, quod *aurum coronarium* appellant, Imperatori sive Regi Romanorum post coronationem, & deinde circa natalem Domini viritim, citra differentiam sexus & ætatis, & ita ab omnibus Judæis in Imperio habitantibus pendere solitum. Vocant id Cron- und Opffer-Geld / quod Wesenbec. *in Cynosur liturg. c. 2. n. 4. p. 3.* conjungit, Limnæus autem *tom. 5. l. 3. c. 2. p. 148.* separat: Et aurum coronarium antiquitus, ubi consuetudo erat, *inferebatur l. un. C. de aur. coron.* nec indictum fuisse illud, sed spontaneè oblatum, non pauci Doctores credunt *gl. d. l.*

Aliàs

Alias quod reditus provinciarum hæreditariarum Seren. Austriacæ Imp. domus concernit, illos in universum ad sex milliones computat *Author Status Ferdinandi II. Imp.*

Caput XVI.

De Investitura.

IV. *Vicariis competit* investitura *de feudis*: Petitur autem *hæc* investitura intra lapsum ordinarium juris feudalis nimirum intra annum & diē *c.un. in pr. qua fuit prima causa amitt. benef. c.un. quo temp. mil. invest. pet. deb.* adjecto à jure feudali die ad excludendam controversiam an dies termini cōputetur in termino. Sed cum regulariter Electio intra quinque menses peragenda sit, uno mense computato ad vocationem, tribus ad comparitionem, & rursus uno ad peractionem electionis; ita ut mensis vocationis computetur à die notitiæ obitus Imp. tres menses numerentur, à die in literis

ab

ab ArchiEpiscopo Moguntino expressa, & mensis peragendæ electionis à die præstiti ab Electoribus juramenti. *A. B. Car. IV. t. 1. & 2.* raro petitur investitura feudorum à *Vicariis*.

Excipitur investitura feudorum Principum *vulgò* Fahn-Lehen / quæ soli Imperatori *in A. B. Car. IV. t. 5.* reservantur: An & Scepter-Lehen *nimirum* Ecclesiasticorum Principum huc excepta sunt; & concludit pro affirmativa *Cl. Dn. Dieterichus in A. B. t. 5. ibi, feudis principum*; idque non solum ob generalem præmissam mentionem investituræ Principum, sub quibus Archiepiscopi, Episcopi & Abbates comprehenduntur sed & ob parificationem horum *duorum feudorum*; Ultra quod accedat *declarativa* versio Goldasti.

Sed quid de cognitione censendum sit, non par est opinio: Arum. *in A. B. tit. 5. 40.* & cognitionem de feudis majoribus denegatam esse cen-

censet, eò, quod magis sit de dubio feudo cognoscere, quam de vetere investire Adducit ulterius *R. I. anno* 1521. *p.* 1. *ibi*, derselben Erkäntnüß Sed mihi arridet sententia Dieterici *ad A. B. d. l.* qui censet ex optima & acuta ratione Carolum V. anno 1521. allegatum locum præscripsisse Præsidi Regimenti postea abrogati. Sed ab hoc velle argumentari ad Vicarium generalem Imperii, idem sit, quasi velis cum Arumæo ab investitura ad cognitionem inferre; cum planè diversa & separata sint, à quibus male fit illatio.

Cap. XVII.

Varia de Vicariatu.

1. *De cognitione Vectigalium.*

AN & de Vectigalibus inter Electores cognoscere possunt Vicarii? Negativa primo intuitu *ex Capit. Ferdinandi III. Imp. art.* 25. *Ferdin. IV. Reg. Rom. art.* 24. & *Leopoldi Aug. Imp. a t.* 24. elucet, ubi

ubi dicitur, quod controversia vectigalium inter Electores coram nullo nisi Solo Imperatore ventilari, & decidi queat, *ibi*, oder anderm Gericht.

An & de commisso? Censent aliqui separata esse commissum ex causa vectigalis, & differre à quæstione, an vectigal sit; Posterioris controversiæ solam decisionem Imperatori reservari, prius autem non prohiberi, cum stare debeat, quod non mutatur, *l. sancimus C. de testam.* Alii id de accessorio, utpote commisso, quod de principali, nimirum Vectigali, judicant.

2. *An & Vicariatus alii demandari possit.*

Aventinus l. 7. p. 719. meminit, quod Ludovicus interregis munus jure suo perfungi Augustæ permiserit Ottoni Nepoti: Sed talis delegatio seu potius substitutio expresse prohibetur *c. clericos 10. de offic. vicar.* ubi expresse habetur, quod Vicarius

non

non possit substituere Vicarium: Quod eo magis huc quadrat, cum hic videatur electa dignitas familiæ: An igitur ex eadem familia oriundo suas vices Vicarius delegare possit, quæstionis est. Et quidem *delegatum Principis subdelegare, & legatum legaturam filio suo committere* posse, vulgatum est ex *l. sciendum §. legati vicarios ff. de legat.* Ego hic manum de tabula tollo.

3. *An & Vicariatus se ad causam absentiæ extendat.*

Exprimitur in A.B. Caroli IV. ita: *quoties vacare contingit Imperium:* Non autem vacat, quando Imp. absens est, cum illud vacare dicatur, quod non possidetur: Sic & vacans mulier accipitur *in l. qui catu §. qui vacantem ff. Ad L. Iuliam de vi publ.* quæ maritum non habet, uti beneficium vacans, quod præbendario caret. Et vacare beneficium dicitur vel morte, vel renunciatione, vel de-

depositione, vel permutatione: *c. un. ibi, vacantium, cum gloss. Ioh. Monach. Picardi Cardinalis, VVilhelmi de Monte Lauduno, & Ioh. Francisci de Pavinis, extrav. commun. ne sede vacant. aliqu. innov.* Sic vacare dicitur, quod à nullo occupatum est, uti hæreditas appellatur jacens, quæ nullum adhuc dominum habet. *l. hæreditario ff. de furt. l. 2. ff. de effract. & expil.* quomodo autem Imperium vacare dici possit, quod suum adhuc Imperatorem habet, meum captum transcendit.

4. *Quis judex sit, ubi Vicariatus in controversiam trahitur.*

Et vel disquiritur; Cui vicariatus competat; vel ambigitur, quæ jura sub Vicariatum cadant. Quod si Imperatorem ultimum solum absque concursu Electorum decidere posse dixero, me errare non crediderim, cum de feudis majori-

bus Imperii solus judicet, quod si non majus, tamen æquale cum dictis juribus censeri posset. Sed cum de ipso Vicariatu ambiguitas ratione personarum dirigentium incidit, an consensus Electorum præteriri possit, ideò, quæri posset; *Quod Carolus Burgundiæ Dux, cum à Friderico III. Imp. ut Imperii Vicarius constitueretur peteret, hoc responsum tulerit; Imperatorem sine consensu Electorum in hac re nihil constituere posse. Paralip. ab Abbat. Vrsperg. in Carol. Burgund.*

5. *Quis judex sit Vicariorum.*

Si convenitur ut Princeps Imperii, locum habent Austregæ, si verò actionem patitur ut Vicarius, convenitur coram Ordinibus & Statibus Imperii.

CA-

CAPUT XVIII.

De Vicariis Particularibus.

RUdolphus I. Pinzivallam de Flisco Vicarium generalem Imperii per Italiam ab Honorio IV. PP. creatum confirmavit ann. 1282. *Mut. in Chron. Germ. l. 21.* Carolus IV. Carolum VI. Viennensium Delphinatus *Vicarium* perpetuum constituit. *Wolf. in centur. 16. p. 315.* ex *Bodin. c. 9.* Parmenses Henrici VII. Vicarium receperunt. *Mut. l. 23.*

Carolus IV. de Mediolanensi Vicariatu Vice Comites Mediolani investivit: *Munster. Cosmograph. l. 3.* Franciscum Picum Ludovicus Bav. Vicarium Mutinæ cõstituit: *Thuan. l. 8.* licet hanc creationem Henrico VII. attribuat *Leandro nella descritt. di tutta l' Italia, fol. 357.* In coronatione Caroli V. anno 1530. Imperii Romani Vicarius Marchio Montis ferrati nomine Bonifacius Paleologus coronam Imperatori prætulit. *Cruf. in annal. Suevic. p. 3. l. 11. c. 5.*

Sic & Carolus V. à Ferdinando fratre petebat, ut filium suum Philippum Regem Hispaniæ per Italiam & Belgium cum plena Potestate Vicarium declararet, sed recusabat Ferdinandus, *Thuan. histor. l. 16.* Ducem Burgundiæ in terris ultra Rhenum Vicarium sed frustra existimat *Æn. Sylv. epist. 295.*

Hodie unus est Particularis & quidem per Italiam Vicarius, nimirum Dux Sabaudiæ in suis & Italiæ terris. *Capit. Leopoldi art. 4. in fin. ibi,* daß wir die Herzogen von Savoja bey ihrer in Italien habenden Vicariats-Gerechtigkeit und Privilegien gebührenden schützen und handhaben wollen: Sed nihil ibi dicitur de Vicariatu Sabaudiæ, hocque ideò, quod Dux Mantuæ hunc nunquam in dubium vocaverit.

Prætendit autem Dux Mantuæ Vicariatum Generalem Italiæ ex investitura Ferdinandi III. Imp.

E con-

E contra ex Sigismundi Imp. concessione se Dux Sabaudiæ perpetuum Imperii Vicarium Italiæ appellat: *Iacobin. de S. Georg. verb. Vicarius. Thesaurus prafat. decis. n.* 14. Sic & idem Sigismundus Brunos de la Scala Veronæ & Vicentiæ Dominos, ibidem vicarios fecit. *Goldast. tom.* 3. *Constit. Imp. anni* 1434.

Sed altius & quidem à tempore *Caroli IV.* Vicariatum Sabaudi petunt. Verum illud privilegium nihil magis continet, quam quod omnes appellationes intra limites Sabaudiæ, quæ olim ad curiam Imperatoris devolvebantur, Dux Sabaudiæ vice Sacræ Cæt. Maj. recipere, decidere, & exequi possit. Sicque ex illo privilegio cõstituitur supremus judex *intra limites* Sabaudiæ. Sequitur Privilegium *Maximiliani I.* qui Privilegio illi hoc singulare adjicit, quod Comites Palatini ab Imperatore creati in dominiis Ducis Sabaudiæ suam Comitivam nisi de placito Ducis exercere nequeant.

Carolus V. adjunxit terris Sabaudiæ diœceſes Lugduni, Matiſconi, & Gratianopolis, ampliavitque Privilegium, ut omnes ſive Eccleſiaſtici ſive Seculares, intra Sabaudiam & dictas diœceſes exiſtentes, ratione feudorum, quæ ab Imperio habent, vaſallagia, homagia & obedientiam Duci Sabaudiæ tanquam Vicario præſtare debeant, quodque ſuas terras vice Imperatoris regere debeat. A Carolo V. in alio privilegio declaratur, Epiſcopatum Burgenſem ſub Vicariatu Imperiali Ducis Sabaudiæ comprehendi. Idem Carolus V. in alio diplomate ampliavit Vicariatum ad Aſtenſem, Patriam Niceæ viginti millium Glandavenſem, Vercelique diœceſes. Rudolphus II. auxit per diœceſes, Albergæ, Albæ, Aquarum, Comitatum Tendæ, Mentonum, Roccabrunam, Pornaſſium, Dolecaquam, eorumque pertinêtias. Ferdinandus II. adjecit, Trinum, Triccerium, Palamollium,

Fon-

Fontanetum, Blanlatum cum Carpaneto, Liburnum, Salucias, Verolengam, Rondillorum, Vulpianum, Joglitium, Marcenascum, Caluxium, Candiam, Barronum, Cucelias, Orium, Lusilias, Montalengum, Rivaram, Furnum, Roccam de Corio, Corium cum cæteris omnibus oppidis, quæ sunt citra flumen Padi, exceptis Morano, Balzola, Villanova, Grangiis, & locis Abbatiæ Lucedii sitæ in Monte ferrato: Ultra Padum verò Brusascum, Cavanolium, Monteutum, Laceranum, S. Sebastianum, Castagnetum, S. Raphaelem, Comenam, Castilionum, Cordevam, Sulcias, Bollolinum, Platium, Marcozengum, Tonengum, Cinlanum, Moncucum, Vergnanum, Possianum, Mondonium, Berlanum, Albugnanum, Pinum Insulam, S. Damianum, Guarenas, Roccam Cilierii, Ciliertium, Somanum, Verdunum, Barrolium, Boliam, Grinlanas, Pernum Burgum malum, Bene vellum,

Rodum Rodellum, Gutraſeccam, Cameranam, Camuniadianum, Albam cum Montelupo & Barbaresco. Sicque illa loca faciunt bonam Montis ferrati partem.

Sicque ex Capitulatione ultima clarius, quàm ex Privilegiis Generalitas Vicariatus Italiæ elucet.

CAPUT XIX.

An monetam Imperialem cudere possint Vicarii, & de antiquitate juris monetarii.

MOnetam cudere posse Vicarios, & ut Vicarios, & ut Principes, nullus dubitat: Sed an regale monetæ absque consensu Electorum, aliis indulgere queant, controvertit *Hanfmann. controv. 6.* & pro affirmativa concludit: Ultra quod refutetur à Carpzovio, inprimis cum post tempora Rudolphi II. scripserit Hanfmannus, in *Capit.* autem *d. Imperatoris art. 34.* primò cautum sit, & in subsequentibus capi-

capitulationibus repetatur, monetandi regale nulli, cujuscunque ordinis & dignitatis, absque consensu Electorum dari posse. Quare igitur Vicarii melioris erunt conditionis, quam Imperator, cujus vices sustinent.

A quo tempore indultum sit jus monetandi Statibus Imperii.

Status Imperii jus monetandi nõ vi Status, non ratione regalium, non consideratione jurisdictionis territorialis, sed ex pura Imperatoris gratia, vel præscriptione, quæ & Privilegii vim habet, possidere, manifestum est ex *R. I. Norinb. an.* 1524. §. dergleichen hat die Münz *R. I.* Augspurg. *an.* 1551. §. so haben wir uns auch *R. I. Spir. ann.* 1570. §. Alsdann auch die Münz Gerechtigkeit. *Nec* valere argumentum à Statu Imperii ad licentiam monetandi constat *ex Rec.* Münzordnung. *ann.* 1559 §. Were es auch Sach / daß einiger Reichsstand / so mit Freyheit der

Münz nicht begaben / künfftig solche Freyheit / Gold oder Silber zu münzen von uns oder unsern Nachkommen am Reich außbringen und erlangen würde. Habuerunt olim Imperatores sua particularia palatia in quibus moneta cudebatur, *uti adhuc hodiè fieri Venetiis*, & Florentiæ *conspicimus: ubi transeuntes publicè fabricantes conspiciunt.* Eratque *hoc regale ita charum Imperialiantiquitati*, ut Constantinus Imp. suũ solum studiũ in fabricandis moneris practicari voluerit. *l. 2. C. de falſ. monet.* imò & omnia rescripta monetandi ab Imperatore impetrata, à Valent. Theodos. & Arcad. nullius valoris declarata fuerint. *in l. fin. C. eod.*

Sed ex post-facto usurparunt & illud subditi & vasalli: Quantũ quidem nostram Germaniam attinet, ut rem à Carolo M. & non altius petam. Ex antiquitate paret & Duces Saxoniæ & Brunsvici Dominos, cum adhuc liberi essent, eadem liberta-

bertate jus monetandi practicasse, qua & alia suprema jura exercuerunt; Sed cum suas terras jure beneficii agnoscere & tradere cæperunt, versa est res, & quod anteà proprio jure habebant, deinde in beneficium possederunt. Tractu temporis non solum Status Imperii partim ex antiquo & proprio jure beneficium cum feudo versum, sed & alii Status novo jure, nec solũ Status jus monetandi exercuerunt, sed & illi, qui nec Status sunt, nec ullam jurisdictionẽ territorialem habent, ut aliquæ Civitates municipales, quales sunt Hoxarium, Halberstad, Hannover Osnabrug, Minda, Monasterium, Hildesheimium, Gottinga, Northemium, Brunsvviga, Rostochium, Sunda, Stetinum & aliæ, *Knipschild de Civitat. Imperial. l 2. c. 21.*

Imperatores antiquitus suam monetam Aquisgrani, & quidẽ sub Carolinis, sub Sigismundo & antecessoribus Florentiæ, unde adhuc nomen

Floreni, cudere curarunt. Habuit & idem Sigismundus specialem Cametarium in Germania, qui monetam curabat, & rei monetariæ proventus percipiebat; Tum moneta Impetialis Francofurti ob commoditatem nundinarum, & Nordlingæ cudebatur *Knipschild de civit. Imp. l.2 c.21.n.7.* Et videbis ex Privilegio Francofurtensibus à Richardo Anglo Imp. Rom. concesso, quod ille medietatem proventus monetæ suæ ad usum pontis Francofurtensib. cõcesserit. Stadt Franckfurt *Privilegia part.1.pag.3.* Videbis & ex privilegio Sigismundi, longè post tempora Richardi, in illa concessione, quæ Imp. civibus monetandi jus auream monetam NOMINE IMPERATORIS indulsit, se in præliminaribus memorare, quod hactenus sui antecessores, Imp. nimirum, auream monetam in Civitate Francofurtensi cuderint. *Alleg. priv. p.282.* Cum abipso illo Sigismundo paulò antea monetandi licentiam in argento in

Tur-

Turnes, Engliſch & Pfenning acceperant: *Privileg. Francofurt. p.* 274.

Qui autem primo illud jus habuerint, inter noſtros Imperii Principes à tempore Caroli M. antiquiores nō invenio, quam Epiſcopos de Bremen/Mindē/Verden/Oſenbrūg/Paderborn/und Münſter. Fabricarunt tamen illi leves denarios, cum in illo ſeculo gravioris monetæ nullus adhuc uſus eſſet. Interque Civitates, quibus jus monetæ conceſſit Imperatoria Majeſtas, prima reperitur Tigurum, quo Ludovicus Imp[illegible] decoraverat an. 880. Circa tem[illegible] Ottonum ab an. 900. uſque ad [illegible] leſimum Brunſvicenſes, Saxoniæ Duces, Archiepiſcopi Moguntinus, Magdeburgenſis, Bremenſis & alii minores Pontifices argenteos & leves ſolidos, & minores quos vocabant groſſos cudebant: Cum & Moguntinus de viginti quinque aſſibus, Eſchen/monetas tum temporis

publici juris fecerit, cum insignibus nostri temporis insolitis, ut cum vexillo in manibus & corona in capite. Versa post tergum rota, quod hodiè Archiepiscopo malè verteretur: Sed cõdonatur id, quod ille Archiepiscopus Imp. Romani Ottonis nomine Wilhelmus filius erat Henrici II. Meinhardo Episc. Herbipolensi cudendi potestatem concessit. Circa quam ætatem in Landgraviatu Hessiæ, Comitatu Waldeck, & Episcopatu Wormatiæ monetulæ cum literis A. B. C. ut eo facilius ab aliis internosci possent, nascebãtur. Ab an. 1100. usque ad 1200. latius se diffudit monetandi potestas, non solum quoad personas, sed & quoad pondus monetæ. Wismannus Archimysta Magdeburgensis tũ grossam monetam primus cudere, & Fridericus I. Lubecæ jus monetandi dare cœpit, quod & paulò antea 1143. Conradus III. Genuensibus permiserat. De anno 1200. usque ad 1300. plures Episcopi, Abbatiæ, Monasteria,

ria, Castella & Civitates citra ullam licentiam Imperatoris jus monetandi sibi vindicarunt. Vide per omnia Münzspiegel *Frisii l. 3. d. c. 9. usque ad* 14. Carolus IV. monetam Regi Bohemiæ, quod ab antiquo illi licuit *in A. B. t.* 10. confirmavit; Ubi observabis, tum quod id Electores habuerint, nullam *mentionem in A. B.* fieri, cum tamen, quod mineras auri & argenti *possidere possint*, ibi memoretur. Ab anno 1400. usque ad annū 1500. confusè ab omnibus ferè monetandi jus in confuso Imperii statu practicabatur: Tumq; Goslarienses suos argenteos, Lubecenses, Hamburgenses & Luneburgenses suos denarios, Pfenning und Witte & Schillingos, Marchiones Misniæ & Landgravii Thuringiæ ann. 1390. Fürstengroschen II. dem ann. 1457. die alten Spitzgroschen / it. *Schneberger.* Landgravii Hessiæ suos Wispennings & Elsabethos, & Status ad Rhenum bacos introduxerunt. In hoc seculo, cum antea venditiones & con-

contractus fierent, marcis, unciis, schokiis denariorum, jam florenis & quidem sub Sigismundo primum fieri incepit. Usque dum an. 1500. Duces Saxoniæ primi thaleros cudere jusserant, post quæ tempora deinde contractus partim ad florenos partim ad thaleros concludebantur. *Fris. d. tr. à lib. 3. capit. 14. usq; ad 17.*

Cap. XX.

De Titulatura.

In nostra Germania diversum quid ab institutis aliorum populorum quoad titulos practicatur. In Gallia, Hispania, Italia, Anglia, usurpant, & filii Principum, Comitum & Baronum, solum titulum suæ possessionis, sicut & appenagiati, ita ut à possessione denominationem capiant. In Germania verò omnes quicunque sint unius familiæ titulum primogeniti seu Regentis ducunt, nisi quod hoc differentiæ in familiis Electoralibus habeatur, quod

quod ille, qui non est Elector, & Electoris & OFFICIATI titulum omittat. Ultra quod hoc speciale est, in Ducatu Saxoniæ, quod filii & fratres Electoris etiam Burggravii Magdeburgensis nomen non teneant, & reliqui ex Aldenburgensi & Vinariensi stirpe titulum Marchionis sup. & infer. Alsatiæ nunquam à prima acquisitione illius provinciæ habuerint, quod ex eo procedere autumo, quia fœminæ Electoralis familiæ ad illam regionem ut feudum fœmineum aditum tenent. Observabis etiam, in Saxonica domo & aliis plus sæpius in insigniis geri, quam in titulis habeant. Uti illustrissima domus Saxonica insignia Palatinatus Saxoniæ, & Palatinatus Thuringiæ, Baroniæ Landsbergensis, Comitatus Aldenburgensis, Pleisæ, Bronensis, Eisenbergensis, Orlamundensis suis inserunt armis, quorum tamen titulaturas in nomine tollunt.

Apud Barbaros ridiculum est, quod

quod divinos ferè titulos aſciſcant, ut hominibus & ſubditis ſuis terrorem incutiant, uti apud antiquos Romanos Cæſares ſe inter Deos poni ſæpius juſſerant.

Turca ſe terrorem orbis, *Dei filium, & Dominum Dominantium: Perſa ſe Salomonis* nepotem appellat.

Modeſtiam lex *Chriſtianæ* fidei jubet: Rex *Hiſpaniæ licet* potentiſſimus ſit, & tantum poſſideat, quantum unquam Imperium Romanum, cum adhuc in flore erat, habuit, majorem tamen quam ſequentem titulum non aſciſcit, qui talis eſt:

N. ex Gratia Dei, Rex Caſtiliæ, Leonis, Arragoniæ, duarum Siciliarum, Hieroſolymorum, Luſitaniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricæ, Siviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Gienis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibilterræ, Inſularum Canariæ, Indiarum Orienta-

entalium & Occidentalium, Insularum & terræ firmæ Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Barcellonæ, Dominus Biscayæ & Molinæ.

Ita exprimitur in *Pacificatione* Hispano-Gallica *concluſa* anno milleſimo *ſexcenteſimo*, quinquageſimo nono.

Eratque titulus Caroli V. Imperatoris & Regis Hiſpaniarum talis, qualis hic legitur *ex Chifletio in Commentario ſuo Lotharienſi cap. 9. & 12.*

Nos Carolus V. Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, *Legionis*, utriusque *Siciliæ*, *Hieruſalem*, *Hungariæ*, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallitiæ, Majoricarum, Hiſpalis; Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algeroniæ,

Alge-

Algericæ, Gibraltarii, Insularum Canariæ, Balearium, & Indiarum, ac terræ firmæ Maris Oceani: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lüzenburgiæ, *Geldriæ*, Calabriæ, *Athenarum, Neopatriæ & Wirtenbergæ*: *Comes Habspurgi, Flandriæ*, Tyrolis, *Goriciæ, Barcinonæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ*, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Cerinthaniæ & Zuthaniæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, Oriſtani & Gorziani. Princeps Sacri Romani Imperii, Sueviæ, Cataloniæ, Aſturiæ, Dominus Friſiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biſcayæ, Molinæ, Salinarum; *Tripolis & Mechliniæ*.

In titulo Caroli V. præponitur Arragonia Legioni, è contra in titulo Philippi IV. Legio Arragoniæ.

Luſitania adjicitur nomini Philippi

lippi IV. quod omittitur apud Carolum V. ex ea ratione, quod tum Reges Hispaniarum nullum ad huc jus in regno Portugalliæ haberent, quod demum post mortem Henrici Regis Portugalliæ in Philippum II. filium Caroli cecidit, jamque rursus separatum ab Hispaniarum Imperio, regibus suis ex domo Baragantiæ subjectum.

Omittitur in Philippo IV. titulus Regni Balearium.

Additur in Carolo V. titulus Lotharingiæ, quod novum est, nec in aliis conspicitur.

Addit Philippus IV. titulum Ducatus Mediolani, quem à tempore Philippi II Regis Hispaniæ practicant, omissum apud Carolum V.

Omittit e contra Philippus IV. tit. Calabriæ, quo & Dux Lotharingiæ se ornat, forsan ille ideò, quia Calabriam sub Siciliis comprehendit.

Addit Carolus V. suo titulo Burgundiam sub Comite, ut francum Comitatum distinguat à Ducatu, quem

quem jam tum Rex Galliæ à recuperatore Ludovico XI. R. Fr. post matrimonium Maximiliani Imp & Mariæ Burgundicæ, filiæ Caroli Audacis, possedit.

Hollandiæ, Zeelandiæ & Frisiæ titulum præteriit Philippus IV. postquam in illarum terrarum superioritatem ex pacificatione cum Statibus Confœderatis concluſa renunciavit.

Et Rossilionis titulum cum terra dictus Rex Regi Franciæ in nuperrima pace cessit.

Nec Tripolim amplius aut tarissimè allegant, cum in manibus infidelium versetur.

Observandum est, familiam Germanico-Austriacam in quibusdam gerere separatum titulum, quo Hispano-Austriaci non utuntur. Suntque illa nomina familiæ Germanicæ annexa hæc: Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ: Dux Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux superio-

perioris & inferioris Sileſiæ, Wirtenbergæ & Teccæ, Princeps Sueviæ, Comes Kyburgi & Goriziæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, & Pottus Naonis.

Utraque familia *Archiducis* Auſtriæ, Ducis *Burgundiæ*, Brabantiæ, *Lüzenburgæ*, Comitis Habſpurgi, *Tyrolis* & Salinarum commune prædicatum gerit.

Cæterum Archiducum titulus talis eſt:

Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Wirtenbergæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis & Goriziæ; quem ita exhibet *Limnæus jur. publ. l. 5. c. 2. p. 355.* Sed *in Inſtrumento Suecico Monaſterienſi anno* 1648. perfectior eſt titulus Imperatoris Ferdinandi III. glor. mem. Salutatur ille: Dei Gratia Electus Romanorum Impe-

Imperator, ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ: Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lützenburgæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtenbergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio S.R. Imperii, Burgoviæ, ſuperioris ac inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum. Ubi ſolum Imperatoris, & Regis Germaniæ nomen adimas, reliqua hæreditaria ſunt, licet alii electivum regnum Hungariæ ſentiant, alii poſt tempora Ferdinandi I. proprietati Auſtriacæ id accenſeant. Quod tirulum Imperatoris concernit, notabis fieri differentiam inter Imperatorem electum & Regem Germaniæ, cum ante tempora Caroli Craſſi Imp. diverſa eſſent, in illo Imperatore demũ coadunata. Fuerunt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0228
DFG

runtq; adhuc post tempora Caroli Crassi Imperatores, qui cum consecrationem Pontificiam non accepissent, solo Regis Germaniæ titulo contenti erant; inter quos præcipuè observatur Henricus Auceps.

Antiquitus Imperatores, cum coronam Pontificalem adhuc acceperant, omisso epitheto ELECTI *appellabantur Imperatores semper Augusti, quod nomen post coronationem Pontificiam assumpserant. Cumque ultimus Carolus V. Bononiæ à Pontifice inauguraretur, posthinc adjecerunt nomen Electi. Cumque Pontifex ad Imperatorem rescribit, & titulo Imperatoris supersedet & ita scribit: N. electo Romanorum Regi, Illustrissimo ac Serenissimo filio nostro.*

Carolus M. antequam Imperator esset, & Saxones subegisset, salutabatur, Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac Patritius Romanorum *Aventin. l. 4. p. 322.*

Credibile est, tum Regem Francorum receptum esse in Patritium Romanorum more solenni, quo hodiè ordinariè Cæsar cooptatur in Canonicum Aquisgranensem: Quod autem te observare velim, tum non Patritius Romanus, sed Romanorum appellabatur, quasi dicere velis patrem sive primarium Romanorum: Post consecrationem Imperatoriam & Pontificalem Leonis III. Papæ, addebat nomen Imperatoris semper Augusti, ut & post subactionem Saxonum, se Dominum Saxoniæ appellabat.

Fridericus II. Imp. aliter, ita ille: Imperator semper Augustus, Hierosolymarum & Siciliæ Rex, quæ duo hæreditaria erant, primumque nimirum Hierosolymitanum ipse ex Palestina expeditione acquisivit. Diximus supra de modestia Christianorum & quidem primo Regis Hispaniæ. Magis parcus adhuc Rex Galliæ in titulo est, hic enim

non

non nisi illud Franciæ & Navarræ Regni illustre prædicatum gerit; & quidem in tanta provinciarum multitudine: Cum Hispani in Britanniam & Ducatum Burgundiæ, Angli in Aquitaniam & Normanniam prætendant, mirum est Regem illum, pro more Regum in simili prætensionum casu, non & specialiter non contemnendorum Principatuum nomina suæ titulaturæ inserere. Et quidem ille Franciam possidet: Navarram verò ex Henrici IV. primi ex Bourbonensi familia Regis & Navarræ Principis successione contra Hispaniam prætendit. De quo vide *me in Prætensionibus illustribus*. Videturque hæc controversia ex pacificatione novissima inter duas coronas sopita, cum Pirenæi fines amborum Regnorum constituantur, habente adhuc Rege Galliæ particulam dicti Regni, quam Bearniam vocant.

Sic & Rex Hispaniæ ad continuandam prætensionem possessionum inter aliorum manus versantium peregrinos titulos possidet, uti Regis Hierosolymarum (quod & à Balduino Duces Lotharingiæ titulotenus in se transtulerunt) Lusitaniæ, Corsicæ, Ducis Burgundiæ: Hierosolymas Turca, Lusitaniam ab anno 1640. Domus Baraganciæ, Corsicam Genuensium Respublica, Ducatum Burgundiæ ab ætate Ludovici XI. Reges Galliæ possident.

Nec novum est inter magnates eo more uti, ut si non naturali possessione gaudeant, tamen civilem ex continuatione tituli retinuisse videantur.

Uti & Dux Sabaudiæ Cypri Regem se appellari jubet, & hinc prædicato Altitudinis sive Serenitatis Regiæ gaudet, quod non tantum pro se, sed & vivens adhuc pro filiis prætendit, hinc cum aliquando Veneti Caroli Ducis filiis nomine

Ex-

Excellentiæ ſcripſiſſent, Dux iram condere adeò non didicerat, ut parcitati tituli iraſceretur. Quod tamen notandum hic eſt, præfatum Ducem omnibus aliis ſuis titulis poſtponere demum Regem Cypri: Titulatura illius noviſſima hæc eſt: N. Dei Gratia Dux Sabaudiæ, Cabaleſii, Aſte, Genevenſis, Montisferrati, Princeps Pedemontii, Marchio Saluſæ, Comes Genevæ, Romontis, Nicæ, Aſti & Tendi, Baro vallium, & Foſſinii, Dominus Vercelæ, Marchionatus Cedri, Oniliæ, & Mari: Marchio Italiæ, Princeps & Vicarius perpetuus Sacri Romani Imperii, Rex Cypri.

Sed quare inter alia Marchio Italiæ, quaſi toti imperaret Italiæ; hoc exinde, quod aditus Italiæ ut Jurcam, Suſam, & Nizam poſſideat.

Principalem limitem Pinarolam & maximum caſtrum cum Peruſa & S. Brigida Ludovico XIII. Regi Galliæ ann. 1632. titulo venditionis

cessit, *pour quatre cent quatre vingt quatorze & tant de mille escus.* Serres *en l'historie du Louys XIII. p.* (*m*)1014. Sicque & eo sensu, Rex Franciæ Marchio Italiæ esset.

Modestiorem in Italia quoad titulos inveniri posse non credo, quam Ducem Florentiæ, qui unico & quidem glorioso nomine Magnæ Etruriæ Ducis gloriatur: Familia Mediceorum in Alexandro à Carolo V. nomen Ducis, epitheton verò Magni à Pio V. Papa, accedente posteà primum refragantis Imperatoris Maximiliani II. consensu, impetravit; Quo præter alias assumptiones unicè adhuc contenta est. In Italia in titulis has habent differentias, quod Dux Sabaudiæ, Magnus Etruriæ Princeps, Dux Mantuæ, Modenæ & Parmæ titulum *Altezze*, & quidem Sabaudus addita exaltatione salutationis Regiæ habeat; cæteri Principes verò non nisi vocis EXCELLENTIÆ, munimine gaudent.

Quod

Quod vocabulum Excellentiæ in noſtra Germania Comitibus, in Gallico idiomate, *ſon Excellence Monſeign. le conte*; Electoralibus & Archi-Ducalibus Legatis, imò & in quibusdam locis, uti Moguntiæ Doctoribus Juris attribuitur.

Quod verò *titulum Altezza* in Italia *practicatum* concernit, non *ſolum illo* Regentibus ſed & fratribus & poſtgenitis conceditur, quamvis *Vittorio Siri in Hiſtoria ſua* referat, Ducem Mantuæ deſuncti Modenæ Ducis Regentis fratrem per vocab. EXCELLENTIA compellaſſe, huncque irâ percitum idem verſus Mantuanum regeſſiſſe.

In Germania noſtra Durchleucht / vulgò Serenitas ex Electoralibus familiis deſcendentibus & natis, ut & antiquioribus Principibus ex moderno uſu conceditur.

In Gallia addunt Principes titulum possessionis cum adjectione tituli Principis, ita tamen, ut illud *Dei Gratia*, sicut in Germania Principes Ecclesiastici, sub quibus & Abbates comprehenduntur, & Seculares consueverunt, citra crimen *læsæ Majestatis non* trahant. Illudq; *Dei Gratia* Ecclesiasticos in Allemania demum *post* Henrici V. *tempora*, & Seculares *post ætatem* Friderici II. Imp. primum usurpasse, aliqui hallucinantur, quod an sit, aliis relinquo.

Fuerunt aliqui inter antiquos, qui pro *Gratia Dei*, practicabant, *Patientia sive miseratione Dei*: Nec hoc malè.

Ut ad Gallos redeam, illi titulos contrahere pro decoro habent, uti Primogenitus Regis se Delphinum, frater Dominum, *Monsieur*, patruus, Dom. Dominum, *Monsieur*, *Monsieur*, & ex linea Regia proximus, Principem vulgò *Prince*, citra aliam adjectionem nominat.

In

In Hiſpania Grandes titulo *Tii* h. e. Patrui ſive avunculi, & Comites, Primi, vulgò *del Primo*, h. e. Cognati ab ipſo Rege honorantur. In Anglia breviter, Duces & Comites ſub nomine Domini, vulgò *Lords* honorantur.

Redeo ad *Reges, quibus* ex antiquo aliquando ſingulare & in poſteros *Reges tranſitorium* epitheton competit: Ut poſt expulſos Saracenos Reges Hiſpaniæ à Pontifice titulum Catholici acceperunt: Et Reges Franciæ à tempore Clodovæi ſe Chriſtianiſſimos ſalutari pro ornamento Regiæ dignitatis habent.

Accedunt aliquando particulares & perſonales denominationes, quas à qualitatibus animi & fortunæ applauſu capiunt: Uti Hiſpaniæ Rex Philippus IV. ex inſtillatione Guſmanni tum primarii miniſtri, ſed poſtea diſgratiati, ut ita loquar, cui Ludovicus Haro in dignitate ſucceſſit, Prædicatum Grandis, &

Ludovicus XIII. p. m. Rex Galliæ suadente Richelio Cardinale se Justum appellari patiebatur: Uti inter antiquos Imperatores talia etiam practicata fuisse legimus, in Ludovico Pio, Carolo Calvo, Carolo Crasso, Henrico Aucupe, Friderico Barbarossa &c. aliis à corpore, aliis ab animo denominatis.

Reges Angliæ sub ævo Henrici acceperunt à Leone X. Papa nominationem Defensoris fidei, cum ille contra Lutherum scripserat; & repudiata Catholica fide titulum hunc adhuc retinent. Talisque Angliæ titulus est.

N. Rex M. Britanniæ (nimirum Angliæ & Scotiæ, quod uno vocabulo primum Jacobus, pater Caroli defuncti Regis, ad evitandam nationis circa prærogativam dubietatem, conjunxit) Franciæ & Hiberniæ, Defensor fidei.

Possident M. Britanniam & Hiberniam. Prætendunt Franciam ex capite acquisitionis bellicæ, & ma-

matrimonii; cui Franci suam opponunt legem Salicam. A tempore Henrici VIII. qui antea Domini Hiberniæ erant, postmodum Regis titulum assumpserunt.

Vulgatum est, posteros Sigismundi III. Regis Poloniæ, primum Sueciæ hæreditarii, posteà exauthorati, prætendisse in Regnum Sueciæ, adeoq; & titulum cum insigniis pro præcipuo habuisse.

Sed ex transactione & pace anni millesimi sexcentesimi sexagesimi constat, quod sequente modo res illa transacta fuerit: Renunciavit Rex Poloniæ in Sueciæ Regnum & illius annexa cum reservatione personali tituli & insignium, nisi in Regnum Sueciæ scribat, tum utrumque omitti, & ultro citroque ita rescribi.

N. Rex Suecorum, Gothorum & Vandalorum, M. Princeps Finlandię &c. &c. &c. econtra: N. Rex Poloniæ, M. Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. ita poni tres etcæterationes. Post

obitum autem præsentis Poloniæ Regis Casimiri, aliis Poloniæ Regibus nec titulum, nec insignia quovis modo competere.

Quia hic incido in titulum Sueciæ, notabit benevolus & *curiosus lector, Vandalorum* titulum etiam, *sub nomine Ducis*, Marchiones Brandeburgenses, *additis* Cassubenis, *& Duces Megapolitanos*, sub significato Principis, citra tamen memoratos Cassubenos, habere. Et Reges Daniæ se Reges Vandalorum & Gothorum scribunt, ita ut diverso à Suecis more Vandalos præponant. Qui autem Vandali sint, ex Aventini Historia elucet, ubi illos accolas sinus Codani appellat, qui & Venedi apud antiquos erant.

Tandem ad Titulum Vicariorum accedimus.

Cumque duo sint, Saxonicus, & Palatinus, seu (ex controversia nondum decisa) Bavaricus;

Saxo-

Saxonis Titulus talis est: Nos Dei Gratia N. Elector, Archi-Marescallus, & S. Rom. Imperii per partes juris Saxonici provisor & Vicarius, Dux Saxoniæ, &c.

Palatinus ita: Nos Dei Gratia N. Comes Pal. Rheni, Sueviæ & juris Franconici provisor, & Vicarius S.R.I. Archithesaurarius, & Elector, Dux Bavariæ: Bavarus verò ita: Nos Dei Gratia Dux Bavariæ, Elect. Archidapifer, Sacri Rom. Imp. in partib. Rheni, Suev. & juris Francon. provisor & Vicarius, Comes Palat.

Hic observabis 1. præmittere Comites Palatinos titulum Comitatus Palatini, Duces Bavariæ verò suum præferre. 2. quod mentio fiat non solum Juris Franconici, sed & partium Rheni & Sueviæ, & ita ab antiquo more.

Ratione prædicati, illud non mutant, sed antiquum nimirum Sereniſſimi retinent, nec aliter ad alios Principes, quam prout & aliàs solent, scribunt; Ad Electorem

Ecclesiasticum, dem Hochwürdigsten; ubi accedit dignitas familiæ, conjungunt dem Durchleuchtigen; Ad secularem eodem modo, dem Durchleuchtigen und Hochgebohrnen; Ad Principem Ecclesiasticum, dem Hochwürdigen; Ad Abbatem & Prælatum, dem Ehrnwürdigen sive Andächtigen; Ad Principem secularem, partim dem Durchleuchtigen/ nimirum ad antiquas familias, extra quas scribunt den Hochgebohrnen; Ad Abbatissas, den Andächtigen; Ad Comites & Barones distinguendo inter antiquos & novos, ad illos dem Hochwohlgebohrnen/ quod tamen rarius, & non nisi ex particulari affectione conceditur, ad alios & quidem communiter dem Wohlgebohrnen; Ad Nobiles, den Wohledlen sive Edelgebohrn; Ad Civitates sive Imperiales sive mediatas, den Ehrsamen/ aliquando, rarius tamen den Edlen/ & sic sequenter. Ad Reges verò den Durchleuchtigsten/ Großmächtigen/ addendo nomen Co-

Cognati; cum adjuncto, non Eur Königl. Majestät / sed, E. Königl. Würde. Rescribunt Reges post Durchleuchtig / E. L. D. quo titulo & Imperator ad Electores, & ad differentiam versus Principes Seculares Deine L. D. & erga Principes Ecclesiasticos Deine Andacht utitur: Imperator in eo majorem dignitatem exercet, quam Vicarii, cum & Comites Imp. per verbum Du salutet, quod autem Vicarii sibi non vendicant, sed Ihr formale, seu ex Civitate der Herr Graff adhibent, quamvis meminerim Principem Imperii ad Comitem Imperii scripsisse, Du / quia vasallus erat, sed male gratum & minus mutato tempori conforme accipiebatur, regerente Comite in responsione per Salutationem E. Gn. an statt Durchl.

Quando Imperatori Reges scribunt, sequenti methodo procedunt: Allerdurchleuchtigster / Großmächtigster König / Herr Bruder / und allerliebster Oheim: Siq; aliquid in feudũ Im-

Imperii possidet, ut Rex Sueciæ & Daniæ, Non E. Lbd. sed Majest. & Würde conjunctim ponunt. Ubi Rex ad Regem, Durchleuchtigster Fürst / freundlicher lieber Bruder / It. Großmächtiger / Hochgeborner Fürst / Rex ad Electorem Ecclesiasticum, Hochwürdigster / ad Electorem Secularem Durchleuchtiger / aliquando in superlativo gradu, cum adjunctione E. L. Id rarum est, quod Rex Sueciæ scribat ad Electorem Brandeburgensem: E. Churfl. Durchl. prout videbis *in p. 1. diar. Europ. p.* 471. Ad Rempublicam ita Rex, grosse Freund / si sunt confœderati, adjicitur, alliirte und Bunds-Verwandte: In titulo Reipublicæ Venetæ additur, Serenissimæ, quod & Genuenses ob possessionem Regni Corsicæ prætendunt: Alii confœderatis Statibus scribunt, den Hochmögenden; quod Jacobus Rex M. Britanniæ, aliquando per risum vertebat in Allmögende.

Rex

Rex religionis Evangelicæ ad Archiepiscopum Postulatum ejusdem religionis : Hochwürdigster. Imperator antehac Archiepiscopis postulatis Ehrwürdig non ita lubens dedit. Archiepiscopus postulatus ex domo Electorali seu Regia ad Regem , Ewr. Königl. Würde : Alii Majestät.

Imperator ad Regem, qui Imperatori Majestatem dat, Durchleuchtster/Großmächtigster Fürst/ freundlicher lieber Oheim und Bruder. E. Durchleucht: *Diar. Europ. p.* 445. Imperator ad Electorem Ecclesiasticum olim Ehrwürdiger lieber N. nunt Churfürst/ Hodie Hochwürdiger.

Sed ut verum confitear, crescunt & decrescunt tituli juxta affectionem, & patrimonium, & mutationem seculi. *Antiquitas satis in titulis parca erat.* Reperies circa tempora Friderici II. in antiquis privilegiis Regem Angliæ non nisi Illustrem appellatum in *Pragmatica privilegii*

Caro-

Carolini Civitatis Aquisgranensis. Benedictus Papa Ottoni secundo Imperatori scribebat, gloriosissimo atque Nepoti suo præcellentissimo: Et Electoribus Ecclesiasticis, Dilectissimis in Christo filiis: Hodiè Imperator *Illustrissimus sive Serenissimus filius; Archiepiscopi* Venerabiles *fratres à PP. nuncupantur:* Ita mutatur *scribendi & titulandi* ratio;

Utque plenius progressus Titulorum explicetur, notabis titulum Durchleucht / antehac non Electoribus, multò minus Principibus traditum fuisse, nec nisi Chur-Fürstliche Gnade Electoribus dabatur. Usque dum circa annum 1610. ex Italiæ mutatione in Germaniam vocabulum Serenitatis irrepsit. Primus qui istum titulum usurpavit, fuit Maximilianus Dux Bavariæ, antequam in Electorale cooptaretur Collegium. Secuti sunt postea Domus Austriaca & Elector Brandeburgicus, interque Principes Dux Holsa-

tiæ

tiæ, quorum exempla posteà alii æmulati, minus sibi nõ licere, quam aliis censuere. Cumque Domus Hassiaca, Megapolitana, aliæq; antiquæ Principum familiæ viderent, Titulum hunc Serenitatis ab aliis practicari in Diæta Electionis anno 1658. illum etiam ex pacto inter se concluso assumpserunt, idque in differentiam recens creatorum Principum, quos non nisi J. Fürstl. Gn. appellari notius est, quàm quod dicam. Sic aucto sæculo augentur tituli, ut ex *Hortledero* vom Teutschen Krieg *pag* 1540. Imperator ad Electores Ecclesiasticos non nisi Ehrwürdiger / cum adjunctione deiner Ld. scripsit, quod post illa tempora Caroli V. & Ferdinandi I. in Hochwürde/& Ewer Ld. transiit. Hodiè quibusdam Regibus nostro seculo mos est, ut Electores illos, qui loco illius usitati ab antiquo, non titulo Regiæ Dignitatis, sed Majestatis eos compellant, nomine Serenitatis resalutent: ita inter Regem Poloniæ &

Ele-

Electorem Brandeburgensem introducto more, quem & Rex Galliæ cum eodem Electore, ut & Moguntino, Trevirensi & Colonienſi practicat, nec ſolum ad Electores, ſed aliquando etiam ad alios Principes ita ſcribitur, prout literas vidi, in quibus Caſimirus Rex Poloniæ ad Principem Palatinum Neoburgicum Philippum Wilhelmum ſub Titulatura Serenitatis ſcripſit;

An ille titulus Principibus appennagiatis & Primogenitis vivente Parente dari debeat, ſub quæſtione adhuc eſt, aliis ita, aliis aliter practicantibus. Apud plures tamen in uſu eſt illis minus quid tribui, & ubi regentibus datur Durchleucht / illi honorentur per vocabulum Fürſtliche Gnaden. Circa Reges aliquando lites quoad vocabulum Majeſtatis exurgunt: Conſueverunt antehac Reges Sueciæ ad Reges Galliæ tali titulatura uti, Sereniſs. & Potentiſs. Rex, V. Majeſt. Econtra Rex Galliæ, Sereniſſime Rex, & ubi in Gallico idio-

idiomate ſicut communiter fit non niſi Vos reſcripſit. Sed poſt tempora Reginæ Chriſtinæ æqualitas retroducta eſt. Offendebat maximè Gallos tempore Pacificationis Monaſterienſis anno 1654. quod Imperator in literis ad Regem Galliæ titulum Majeſtatis omiſerat, ſed regerebat ille, extra conſuetudinem eſſe ab Imperatore ad alios Reges taliter ſcribi, niſi quod, cum privatis literulis Regem Hiſpaniæ ſalutaret, vocabulum Majeſtatis pro honore conſanguinitatis inſereret.

Prout Principum *diverſa ſors eſt*, ita & Legati illorum *diverſi quid* poſtulant. In Germania Excellentię titulus antehac incognitus, primo in Curia Cęſaris Venetis Legatis datus eſt, *ad imitationem illius*, quod illi in Curia Romana una cum Florentię & Sabaudię Legatis obtinent. *Id* cum viderent Electorales, idem in Pacificatione Monaſterienſi ſibi tribui poſtulabant, & dabatur illis titulus hic à Nuncio Pon-

Pontificio, Cæsareis & Regiis Ambasciatoribus, idemque sed frustranea spe petentibus Principum Deputatis. Hinc Germaniæ perniciolo & novo exemplo Consultationes divortium passæ sunt, cum ob discordiam titulorum, Principum Legati desisterent cum Electoralibus in commune privatim consulere, ridentibus exterorum populorũ Regibus, quod taliter ingenia Germanorum per exiguam rem separari possint.

Aliqui ne plus justo tribuant, in tertia persona loquuntur, quemadmodum in Italico idiomate commune est.

Ducis Sabaudiæ, tempore memoratæ Pacificationis titulum Excellentiæ dabant Galli & Electorales, denegabant Nuncius, Cæsarei & Hispani; tum & Ducis Mantuæ Deputato eundem honorem soli Electorales dabant, recusantibus cæteris. In minima quadam re aliquan-

quando magni versantur scrupuli: Sic cum pendente Pacificatione Monasterienſi in quadam literaria salutatione ad Regem Galliæ Cæsar scriberet Consanguineo & fratri, malè ferebant Galli, quod illud fratris adjunctum postponeretur.

Non parum affecit in curia Imperiali antehac Regis Regnique Sueciæ Legatos, quod Imperator noluerat dare Suecorum, Gothorum & Vandalorum Regi titulum, Sereniſſimi & potentiſſimi, sed solum Sereniſſimi & potentis, malè Superlativo & Positivo juxta decorem loquendi congruente, & proinde successu temporis in æqualitatem redacto.

Inter Turcam & Imperatorem, ne confusio oriretur ob simultaneam possessionem Regni Hungariæ, ita antehac inter utrumq; conventum fuit, ut alter alterum nomine Imperatoris honoraret, & Turca Cæsarem

rem Patrem, hic illum filium nominaret.

Dux Moscovię flagitio sibi duceret, si literas reciperet, in quibus illud Czar omittitur, quod cum aliquando Pontifex, ubi Moscovitas à Græca ad suam religionem *ducere volebat, non observasset*, adeò turbavit *mentem Principis* illius, ut de religione *Catholica aliquid* amplius *audire pro piaculo habuisset.*

Si aliquid in titulatura ridiculi occurrit, id est, quod Sultan Ibraim moderni Turcarum Imperatoris Pater, in quodam Edicto, quod reperies *in Theatro Europæo part.* 5. *pag.* 841. *anno* 1645. ita se nominari jusserit, prout etiam talis Edicti Prodromus est.

Sultam Ibraim invictissimi Imperatoris filius, Nepos Omnipotentis Dei, Rex Turcarum in Græcia, Baltica, Sarmatia, Damasco, Phrygia, Ægypto, Alexandria, Armenia, Arabia, Regum hujus mundi Rex, capitis Paradisi habitator, Episcopus totius

totius Asiæ, Africæ & Americæ, & magnæ Europæ partis, Salvator, Caput in Jericho, Quardianus sepulchri Mahometis & sepulchri Dei, & suorum operum, Maximum totius Orbis luminare, ab Oriente usque ad Occidentem, omnium incolarum, Dominus Dominorum, Rex Regum, Princeps Principum, Terror & flagellum omnium Christianorum, Ottomannorum & circumcisorum spes & inæstimabilis thesaurus, Sanctus & Reverendissimus.

Caput XXI.

De Ratione subscribendi & signandi diplomata.

AD dextram Vicarius, sub illo Cancellarius Vicarii, & ad sinistram, appositis his, Ad mandatum proprium Domini Vicarii, Secretarius seu Protonotarius: Apponitur deinde sigillum in cera rubra ad finem, eadem subscribendi &

sigillandi apud Imperatores practicata ratione, quæ hodiè ab antiqua discrepat.

Sub Leone Augusto requirebatur inscriptio purpurea, *l. sacri affatus C. de divers. rescript.* Postmodum à Carolo M. usq; ad Fridericum II. certos characteres, quos vide apud *Stradam in histor. Impp.* adhibebant. Subscriptio vero Cancellarii seu Vice Cancellarii antiquissima est, tribus Archi-Cancellariatibus, Moguntino, Trevirensi & Colonienſi, juxta Germaniam, Arelatum, & Italiam, à tempore Henrici II. Imp. annexa, ita ut semper Sub-Cancellarius vice Archi-Cancellarii subscriberet. Vocabantur non Archi-Cancellarii sed Archi-Capellani, usq; dum sub Henrico III. id mutaretur, & quod Secretarius primum simul subscripserit, factum fuisse sub Friderico II. reperio apud *Gevvold. de Septemvir. c. 6.*

CA-

CAPUT XXII.

Quæ exteri Principes ab Imperio habeant, & titulo feudali recognoſcant.

ILli ſunt in duplici differentia; Vaſalli & Status ſimul, vel ſolum Vaſalli. Illi qui *Vaſalli* ſunt, & ratione ſuarum terrarum in Comitiis comparent, ſimulq; votum & ſeſſionem habent, ſunt

I. Rex Sueciæ, qui in Pacificatione Oſnabrugenſi anno 1648. ab Imperatore & Imperio, in perpetuum & immediatum ſibi Regnoque ſuo, conceſſum Imperii feudum accepit, 1. Totam Pomeraniam citeriorem, vulgò Vorpommern / cum Inſula Rugia, ex Pomerania ulteriore Stetinum, Gartz/ Dam/ Golnau/ & Inſulam Wollin / una cum interlabente Odera & mari vulgò das friſche Haff/ ſuisq; tribus oſtiis, Peen/ Swine/ & Divenau / cum adjacente utrinque terra ab initio territorii Regii uſq;

in mare Balticum. 2. Civitatem & portum Wismarienſem unà cum fortalitio Walfiſch / & Præfecturis Poel/ exceptis quibusdam quæ vide *in Inſtrum. Pac. Suec. art.* 20. & Neuen Kloſter. 3 Archi-Epiſcopatum Bremenſem, Epiſcopatum Verdenſem cum oppido & præfectura Wilshuſen / una cum privilegio de non appellando in ſingulis dictis feudis, & licentia eligendi forum ſive judicii Imp aulici, ſive Cameræ Spirenſis, optione intra tres menſes declaranda, ut & poteſtate erigendi Univerſitatem, & ratione Bremen voto quinto in ſcamno Principum ſeculari, Verdenſi vero & Pomeranico ſuis locis. *Inſtr. d. art. memor.*

Feuda illa olim maſculina, & fœminea facta ſunt per Inſtrumentum Pacis. Concedebantur tum Chriſtinæ Reginæ & regno Sueciæ, quod nunquam moritur, nec ſolum Univerſirati, ſed & in perpetuũ feudum, quod vocant. Perpetuum capitur in dicto Inſtrumẽto pro hereditario, & con-

consequenter pro fœmineo *art. d.* 10. *ibi, hunc Ducatum, verb. in perpetuum pro hereditario feudo:* Cum verba unius contractus ex verbis ejusdem instrumenti declarentur: Alias in jure civili capitur Perpetuum pro vita hominis, *in l.* 1. *ff. de soc.* & discriminatur ab æterno, quod hoc ad hæredes transeat. *l. nulla* 70. *ff. eod. & ibi gl.*

II. Rex Daniæ cum Ducibus Holsatiæ recognoscit ab Imperio Holsatiam, Ditmarsiam & Stormariam: de quibus vide *me in Iurispr. publ. in dicto Duc.*

III. Rex Hispaniæ ratione Burgundiæ, cujus Comitatum vulgò *la franche Comtè* possidet, Ducatus vero à Ludovico XI. Regno Galliæ inserti recuperationem optat. Vocatur Comitatus *la Franche comtè*, ideò francus Comitatus, quod à vectigalibus immunis sit, prout quidam asserunt. Suntque illius Comitatus Helvetii protectores.

Anno 1654. in Comitiis Ratisbonensibus civitatem Imperialem Vesontium ex matricula Imperii exemptam Rex Hispaniæ cum consensu Imperii municipalem fecit, dictoq; Comitatui inseruit. Dicitur supra, quod liber sit à vectigalibus. Et ita Chifletius in Alsatia jure proprietatis & protectionis Philippo Regi Catholico vindicata, c. 10. p. 71. Illa terra (inquit) pleno patrimonii jure à Rege Catholico sic possidetur, ut ejus nomine nulla merces, nec opera debeatur, unde liber Comitatus appellari solet, scilicet à Comitum pervetusta libertate.

Particularis est circulus Burgundiæ, qui comprehendit provincias Belgicas, & Burgundiam: Suntq; incorporata membra memorati Circuli juxta *transactionem inter Imp. Carolum V & Imperium anno* 1548. *conclusam*: Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luzenburgi, Geldriæ, Comitatus Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Zelan-

Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, Marchionatus S.R. Imperii, Dominia Frisiæ, Ultrajecti, Transisulaniæ, Gröningæ, Falcomontis, Dalhemii, Salinarum, Mechliniæ & Ultrajecti.

Exempta sunt â jurisdictione Imperii, illius Constitutionibus & appellationibus, nisi quod in casu contributionis Imperialis, ubi morosi fuerint dictarum terrarum Status & incolæ, in Camera Imperiali contra eos procedi queat, ut & quod ad nullos Imperii Recessus, quam ad constitutionem fractæ pacis obligentur activè nimirum & passivè: Obligatur idem dictus Circulus ad Collectam Imperialem vulgò Römer-Monat / ea quantitate, ut duplum taxæ Electoralis Rhenanæ, & quando contributio Turcica ingruat, triplum, & non minus, quam tres Electores exsolvat, excepto casu ubi Rex Hispaniæ, aut dictæ provinciæ ipsæ milite, aut ejus loco pecunia indigeant; tum enim propria necessitas eos liberat.

Comparet itidem Dux Burgundiæ, nomine illarum provinciarum cum voto & sessione in Comitiis Imperialibus, & deputatorum.

Alias sunt liberæ ab omni Imp. & Imperii superioritate & jurisdictione, ita ut planè censeantur exemtæ, solâque gaudeant Imperii protectione, eâdem formâ, qua reliqui Status Imperii fruuntur.

Geldria & Trajectum ante alleg. constitutionem 1540. erant sub Circulo Westphalico, quod ad Status Imp. Carolus V. ita excusabat, quod ideò fuerint antiquitus sub eo circulo constituti, quia circuli à Maximiliano I. Imp. tantum ad personas Cameræ Imperialis nominandas & præsentandas excogitati fuerint. Vide *Chifletium d. l. in alleg. constit. Burgund.*

Exemerunt se ab hoc Circulo & illius vi cõstrictiva Status confœderati, pacta cum Regé Hispaniæ libertate: An jure, an injuria: Anq; illud pa-

pactum Imperio quoad superioritatem noceat, non est præsentis loci. Legitur apud *Dinterum lib.6. c.159.* quod Ludovicus IV. Imp. nullum aliud jus sibi in Hollandia & Zelandia præter homagium asseruerit. Homagium autem ex parte præstantis inducit obedientiam & subjectionem, & ex parte recipientis superioritatem.

Flandriam quod attinet, illa olim fuit sub directo dominio Franciæ, sed Guido Comes Flandriæ literis datis apud Mateum anno 1296. propter prætensam infidelitatem Philippi Regis Franciæ semetipsum liberum & absolutum declaravit, quibus hoc addo, quod inter Ludovicum XI. Regem Galliæ & Carolum Ducem Burgundiæ inter alia conventum fuerat, ubi pactis initis Rex non staret, se ab omni Franciæ vinculo & dominio liberum fore, *Chiflet. in Alsat. p.71.*

IV. Dux Lotharingiæ primum anno 1570. in Recessibus Imperii, &

primum restrictivè cum adjectione Numeny in Rec. Imp. ann. 1598. subscripsisse legitur, quamvis hæc limitatio in R. I. an. 1603. omissa, posteaque ut & in ultimo Recessu Imperii 1654. repetita fuerit.

Lotharingia ipsa ex transactione Burgundica anni 1548. libera est; Eandemq; *libertatem ratione Ducatus Barri, (prætendente antiquitus Rege Galliæ illius dominium directum)* hodie ex erectione novi Parlamenti in dicto Ducatu obtinuisse videtur.

Illa quæ ab Imperio jure feudi Lotharingiæ Dux recognoscit, sunt, quæ enumerat Chiflet. *in Comment. Lotharienſi cap. 12. p. 45.* ut Marchionatus Pontis Montis, Comitatus Blanckenberg/Beltstein Clarimont/ Marchionatus Hattonis Castri, Advocatiæ civitatis in Tolleia, & Monasterii in Rumelsberg/ & aliorum jurium in dicto monasterio competentium, item conductus in terris, & aquis partium suarum

ac

ac *Villeyne* cum jure monetandi in eadem, cum jure, quod qui in terra inter Rhenum & Mosam duellare voluerit, quod illa duella fieri coram Duce, & quod filii clericorum in terris Ducis nascentium ad Ducem pertinere debeant.

Omisit *Chifletius Marchionatum Numenii*, ratione cujus in Comitiis votum gerit, & Comitatum Falckenstein am Donnersberg / quem in subfeudum Comitibus de Falckenstein concessit, hunc hodie Comitibus de Burck possidentibus. Habent feuda in Lotharingia plane separatam ab Imperii feudis naturam: Omnia ibi sita non tantum hæreditaria sunt, sed & libere absque consensu Domini alienari & oppignorari possunt.

V. Dux Sabaudiæ ratione Sabaudiæ est Status Imperii, ultra quod in Imperii feudum immediatum Marchionatum Montisferratēsem, quem Dux Mantuanus possidet, vi

Instrumenti Pacis Germano-Gallici prætendat.

Alii exteri, qui non sunt Status, sed jure feudali ab Imperio sua recognoscunt,

Sunt vel Imperii membra, vel absoluti.

Imperii membra sunt 1. Dux Mediolani. 2. Dux Mantuæ. 3. Dux Modenæ & Regii. 4. Marchio Finalis. 5. Comes Plumbini cum Insul. Elba. 6. Dominus Comachii.

I. Carolus V. primum in feudum Imperii perpetuum suo filio Philippo II. concessit, & memorat *Abelinus in Theatr. Europ. circa ann. 1621.* quod à Ferdinando II. Imp. Rex Hispaniæ de feudis Imperii, nimirum Mediolani, Finalis & Plombini investituram acceperit.

II. Sub investitura Ducatus Mantuani, Reggioli & Luzzara comprehenduntur *Instrum. Pac. Gall. §.* Jtem gleichen wird.

III. Du-

III. Ducem Mutinæ & Rhegii esse vasallum Imperii, docet *Marta Neapolit. cap. 33. n. 78. 124. de jurisdict.*

IV. Comachium prætendunt Duces Mutinæ, ut feudum Imperii contra possidentem, & negantem Pontificem. Rationes vide in *meis Memorabilibus Italiæ.*

Exteri & absoluti sunt

I. Rex Hispaniæ, qui Sienas ab Imperio jure feudali accepit, & in subfeudum M. Hetruriæ Duci concessit.

II. M. Hetruriæ Dux Florentiam & Pisas citra recognitionem Superioris regit, Sienas, Marsilianum, Insulam Elbam, à Rege Hispaniæ, Radicofanum jure perpetui Vicariatus sedis Pontificiæ, Terras, Saturniam, Maremmam, Senas ab Abbate trium Fontanarum titulo feudali recognoscit, ratione Fillaterri & Marchionatus Lunigianæ Imperii vasallus est.

Sunt & Principes extranei, dicti Principes Imperii, qui nec Status Imperii sunt, nec minimum ab Imperio habent, uti Razevilius in Lithuania, & Transylvanus; Uterq; se Principem S. R. Imperii scribit. Desideratq; hunc titulum *Dux Curlandiæ, feudatarius Poloniæ*, constante *titulo redemtione* quatuor *mille thalerorum.*

Quod Imperii corpus concernit, maximè defecit, deploratque jam reditui paucitatem, quod optime demonstrat *Conringius de finibus Imperii Romani.*

Ut res non altius quam ab Imperio Francorum repetatur; Continebat tum Imperium Francorum Galliam & Germaniam: Utraque gens in una diæta simul comparuit: Utraque regna sub Imperio Francorum; & in hujus rei memoriam monumentumq; etiam hoc solenne erat, quod nõ alibi, quam Francfordiæ, quæ urbs primaria Francorũ est, Comitia Cæsaria, Imperatoriaque ha-

haberentur, ita referente *Aventin. lib. 4. p. (m) 315.* sed hoc hodie in desuetudinem abiit. Carolus M. Ludovico Pio nomen Imperatoris cum regno Francorum, Germania nimirum & Gallia, Pipino regnum Galliæ, & Ludovico Aquitaniæ regnum dedit. *Aimon. in eod. Imp.*

Hic Imperatoria dignitas regno Francorum annectebatur.

Postmodum Ludovicus Pius Italiam cum Imperatoria dignitate Lothario, Aquitaniam Pipino, Bavariam Ludovico, Franciam Carolo Calvo assignavit. Hîc Imperium fuit Italiæ ornamentum: Reliqua ab eo separabantur. Quilibet suum supremæ potestatis titulo possidebat.

Lotharius Imp. primogenito Ludovico Imperium cum Italia, Lothario Austrasiam & Lotharingiam, Carolo Provinciæ regnum in hereditatis titulum reliquit.

Ab Italia ad Galliam dignitas Imperatoris devenit.

Ludo-

Ludovico mortuo hujus patruus, Carolus Calvus Franciæ Rex *Imperium* cum Gallia conjunxit. Tumque Italia sectarios habebat Reges. Alii Berengarium, alii Witonem eligebant. Sed demum recurrebat *dignitas* ad Germaniam *in Ludovico Rege* Germaniæ. Ludovicus autem Rex Germaniæ sequentes filios habebat, *Ludovicum Regem Germaniæ*, Carolomannum, Ludovicum, & Carolum: Carolomannus Bojariam, Pannoniam, Carnutum, Regna *Sclavorum*, Bohemorum & Moraviam (quæ per sequentia multa secula Marchiones aluit) sortitus est.

Parebat Ludovico Orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Frisia, (sub qua tum comprehendebantur fœderatæ provinciæ, Germaniæ proximæ) & pars regni Lothariensis.

Carolus accepit Alemaniam, & ex regno Lotharii civitates quasdam. *Auth. annal. Pithœan.*

Dicti

Dicti Carolomanni Bavari filius Arnulphus nomine, Carolo Crasso depositio successit. Arnulphum filius Ludovicus sequebatur.

Post cujus fata EXTINCTA SUCCESSIONE per electionem Conradus Dux Franconiæ optabatur, ascito post hunc Henrico Aucupe.

Sed quid decreverit, videamus.

Venetos *non* semper liberos, sed & *sub* Imperio Francorum fuisse (contra communem opinionem) ex *Aventino* hisce defendimus, *lib. annal p.* 359. Ita ille: Pipinus filius Augusti perfidiam Venetorum, qui Græcis magis quam Francis favere dicebantur, ulturus, urbem terra mariq; obsedit, ad deditionem coëgit, DUCIBUS ET POPULO in fidem receptis, jurejurando à singulis futuros in potestate Francorum exacto: Eratq; id circa tempora Caroli M. *Aventin. annal. l.* 4. *p.* 360. Tumque Venetiæ Nicephoro Imperatori Constantinopolitano redditæ sunt, *Aventin. l.* 4. *annal. p. ead.*

Du-

Duriores erant, nec tam faciles victu Dani & Suecri: Nec antè pacem dictus Rex (*inquit Avent. l. 4. p. ead.*) sibi fore censebat, quam totum eum Septentrionis tractum, omnesque ejusdem cardinis nationes, ut Danos, Cimbros, Suionas, Fennos, Nordovicos, Gotos & Getas subegisset, subque imperium redegisset, verùm omnis conatus frustraneus erat. *Aventin. l. 4. p. 360.*

Illiq; qui trans Albim circa Sinum Codanum, (jam mare Balticum) habitabant, Pomerani nimirum & Megapolitani, ferociſſimæ nimirum nationes, ut ait *Aventin. l. 4. p. 331.* tempore Caroli M. adhuc tributarii Daniæ. *Avent. eod. lib. p. 358.* Dani autem tum amici Caroli M. erant, teſtante *Avent. l. 4. p. 358.* non ſubditi: Sed (prout in humanis ſolet) variato rerum ordine, Linones, Villizi, Valatabi, Slavi, Venedi trans Albim, qui ad Danos deſciverant, rurſus in ditionem Caroli M. redacti ſunt. *Aventin. d. l.* Regno Fran-

Francorum, quod Carolus à patre acceperat (memorante *eod. auth. p.* 364.) Carolus longè plura addidit: Francorum, Germanorumque Majestas sub eo in summo stetit: Salam, Ligerim, Anassum amnes, *Alpes Maritimas, Litoreas, Cottias,* Julias, Rhetias, *Grajas, Peninas,* Noricas, extrema *Imperii* Francorum *media fecit*: Antea sub ditione Francica erant Celtæ, Narbonensis Gallia, Belgæ, Germaniæ, quæ in Gallia sunt, Celtica nimirum & Belgica: Suevi, Boji, Franci, Turogi, Frisii & Batavi. Subegit armis invictus Carolus Franciam atq; Germaniam. Hinc Aquitaniam, Linguadocos, Vasconas, omnem Pyrenæi Montis tractum: Navarros, Citeriorem Hispaniam usq; ad flumen Iberum, illinc Italiam, Regnum Longobardorum cum terrarum Dea Roma, Histros, Carnos, Liburniam, Venedorum Marchiam, Dalmatiam, Slavoniam, Noricum inferius, Pannonias, Hunniam, Bavariam, Da-

Daciam, Saxoniam, Venedorum & Slavorum nationes ferociſſimas & valentiſſimas: Sorabes, Mæſos, Bohemos, Zeckos, Moravos, Velatabos, Hammelburgenſes, Brandeburgenſes, Pomeranos (quos alii demum ſub Friderico Barbaroſſa ad Imperium devolutos eſſe autumant) ut & Boruſſos. *Aventin. lib. 4. p. 364.*

Sic & extant epiſtolæ Regum Britanniæ, Anglorum, Scotorum, & ulterioris Hiſpaniæ ad Carolum M. in quibus hunc patronum nuncupant, ſeq; ejus Clientes profitentur. *Avent. l. d. p. 365.*

Carolus & Henricus Confluentiæ primò, deinde Bonnæ conveniunt, amicitiam jurejurando confirmantes, Carolus Germ. totaque Orientali Francia excidit, nec poſthac ad noſtrum uſque ſeculum ſub ditionem unius coierunt Galliæ & Germaniæ regna. *Aventin. l. 4. p. 487.*

Aſſe-

Asserunt communiter Galli, ab antiquo Rhenum Galliæ limitem fuisse, quod assertum *Aventin. l. 4. p. 490.* hisce convellit: Ita ille de Alsatia Cis Rhenana provincia; Ludovicus Galliarum Rex Germaniam armis repetere decrevit, ille Alsatiam armis petit, Brisacum Castellum edito loco supra Argentoratum conditum, & quod Rhenus alluit, præsidio firmat: De Italia verò ita *Aventin. l. 5. p. 496.* Berengarius Rex Longobardorum se in clientelam Ottoni dedit, præter Veronensem & Forojulianam Regionem, quæ ad Ducatum Bavariæ spectabant, *Aventinus l. 5. p. 496.* Conradus Cæsar porro Burgundicum & Lotharingicum Regnum Germaniæ conjunxit. Dicitque *Conring. de Rep. Imp. acroam. 1. p. 16.* Post ætatem Ottonis (sub quo & Lotharingia ad Imperium rediit, *Aventin. l. 5. p. 496.* & qui primus ab incursibus Ungarorum, sicuti

per

per annos quinquaginta quinque hactenus continenter factitarunt, Germaniam asseruit, *Aventin. l.5. p.499.*) nihil magis accessisse. *Avent.* tamen *d. lib. p.501.* testatur, Urbem Romam & Italiam, quæ per sexaginta annos à Germania divisa erat, rursus Francorum imperio junctam fuisse, cui adhuc titulotenus cohæret. *Avent. l.5. p.501.* Et adhuc post Friderici II. tempora, sub ætate Conradi Cæsaris Germania potens erat. Ita enim ille: Germania victrix terrarum; ejus bellicosissimi populi, Venedi, Slavi, Ungri, Dani, Teutonesque suis viribus & mutuis vulneribus corruunt. *Aventin. ann. l.7. p.680.* In illo interregno fatali post ætatem Friderici II. (quod aliqui ad 18. aliqui ad 21. alii ad 25. annos computant) quilibet ferè magistrum agere, Proceres minuere reservata, & in tali confusione Imperium Imperiique Majestas decrescere cæpit.

Cogi-

Cogitabatur tum ob magnam Germaniæ miseriam de replantanda rursus & in Italiam transferenda Imperiali dignitate. *Avent. l 7. p. ead.* Cumq; infelicitas semel fundamenta jecit, rarò desinit, ita & nostra Germania post hæc tempora paulatim vires perdidit. Et jam tum discordia Imperatoris Friderici II. & Pontificis ante illud tempus diminuendo Imperio occasionem dederat. Sic pendente posteà interregno Burgundi se ex Imperii potestate Gallorum dominationi crediderunt. *Conring. de Imp. Rep. acroam. 1. p. 16.*

Rudolphus I. Bononiam cum Romaniola Gregorio X. Pontif. quæ quotannis millia drachmarum septingenties pensitabat, absoluto jure primus concessit. *Aventin. l. 7. p. 709.* Sub Alberto Rudolphi filio libertatem Suicenses primum meditati sunt, quam posteà perfecerunt. Vide *supra.* Carolus IV. plane nervos Reipublicæ præcidit, idq; quod reli-

reliquum erat, nimirum Vectigalia Rheni donavit d. fluminis vicinis Electoribus. Sicq; pedetentim Romanæ Reipublicæ facies minorem formam accepit.

CAP. XXIII.

De Statu Religionis.

TOlerantur extra Religionem Catholicam, *Augustanam*, & Reformatam, nullæ aliæ *in Germania. R. I. de ann.* 1555. §. Doch sollen alle andere / *Instrum. Pac. Suec. art.* 7. *circ. fin.* & quod Reformata contineatur sub pacificatione religiosa, quod antiquitus à quibusdam in dubium trahebatur, indicat *Instrum. Pac. Suec. ann.* 1648. *art.* 7. *in init.*

Concernit autem pacificatio religiosa in puncto restituendorum & tolerandorum, vel I. Fidem ut circa 1. tolerantiam diversæ religionis hominum, vel 2. exercitium fidei publicum, vel 3. privatum, vel II. Bona ecclesiastica, & illorum reditus, census, decimas & pensiones.

Res-

Resq; agitur vel inter Augustanæ C. addictos, & Catholicos; vel inter Augustanæ C. & Reformatos.

Ubi res agitur inter Aug. Conf. & quæstio circa fidem versatur, tum disquiritur; An Dominus Territorii diversarum nimirum nominatarum religionum subditos tolerare cogatur, vel illos ad emigrandum cogere possit.

Ante Pacem anni 1648. quidam emigrationem subditorum diversæ fidei ac liberrimæ voluntatis defendebant ex *R. I. ann. 1555. §.* Wo aber unsere auch der Churfürsten ex voc. sich nieder thun wolten/ ex VELLE rem libero emigrantium arbitrio committebant, & cogi illos non potuisse. Sed quod tum in obscuro & sub nube latebat, jam pleniorem decisionem per Instrum. *Pac. Suec.* accepit, in quo tamen à quibusdam & quædam dubia in illo puncto moventur. Et quidem emigrationem illam ita in d. Instr. dilucidatam invenimus, ut illa ab Imperio

Magistratus, sed non circa omnes, sed solum circa aliquos dependere decernatur. Quales sunt Catholicorum subditi, & vice versa, qui anno 1624. & quidem nulla illius anni parte sive publicum sive privatum *religionis* exercitium *habuerunt*, & tamen *tempore* publicatæ Pacis Osnabrugensis *in* unius vel alterius Statuum *immediatorum territorio habitare deprehendebantur*, intra quinquennium, illis verò qui post pacificationem religionem mutarunt, *intra triennium*, nisi tempus magis laxum à Domino territorii impetrare potuerint, terminus ad emigrandum præfigatur *art.* 5. §. 12. *vers. Conventum autem est.* In quibus expressè habetur, quod illi, qui anno 24 nec publicum nec privatum exercitium religionis habuerunt, intra terminum à Domino territorii ad emigrandum cogi possint. Quid enim opus esset præfixione termini, ubi committeretur voluntati emigrantium. Nec ibi

men-

mentio fit adhuc illorum, qui ibi tolerabantur, tres enim sunt species, 1. illorum, qui publicum habent exercitium religionis 2. qui privato gaudent. 3. qui domi suæ conscientiæ vacant, uti illas species *in art. 5.* & in primis *circa ultimum in §. placuit porrò*, enumeratas esse constat.

Econtra rem esse liberi arbitrii videtur *innuere art. 1. §. 12. ibi, placuit porro*, ubi dicitur, quod non solum illorum Statuum subditi, qui privatum & publicum ann. 24. habuerunt exercitium, sed & qui post pacem publicatam diversam à territorii Domino religionem profitebantur, patienter tolerentur, ut conscientia libera domi devotioni suæ sine inquisitione aut turbatione vacare possint, & in vicinia quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, cum HAC ADJECTA AMPLIATIONE, ut pari cum aliis jure circa mercaturam, opificia, tribus, hæreditates, legata, hospitalia, leprosoria,

eleemosynas, cæmiteria & Honores Sepulturæ gaudeant.

Medius paragraphus & quidem sequens utramque opinionem ambiguam reddit, per hæc formalia, *sua sponte emigrare voluerit, vel à Domino Territorii jussus fuerit:* Adde & illa *in §. sequ. conventum, ibi, neque sive voluntarie sive coacte emigrantibus*, ita ut hinc aliqui colligant, partim esse liberi arbitrii, partim superioris coactionis. Sed quomodo libertas & coactio in uno subjecto commorari possunt? Ille qui jubetur, velle nequit, inquit Jurista. Adeoq; melius statuendum est, emigrationem esse coactionis; ad quid enim aliàs esset, jus Reformandi, Juri territorii annexum *§. conventum, ibi, territoriorum dominis*, in aliquibus particulis immediatis annexum ponitur *§. placuit porrò, ibi, Statuum*, quod Statibus immediatis cum jure territorii & superioritatis ex communi Imperii praxi competit, *art. 8, §. 12.*

Re-

Replicant hîc, quod eo casu, si cogi quis posset ad emigrandum, Seren. Domum Austriacam, quæ tamen non minoris quam alii Status conditionis dici potest, permisisse in Silesia Aug. Conf. addictis, ut nec bonis cedere, nec emigrare teneantur. §. *ibi ob professionem. Aug. Confess.* Sed id singulare, memorante dicto articulo, ad instãtiam Regiæ Sueciæ Majestatis obtinebatur, & proinde regulam non constituit. Tales qui emigrant, sive coactè sive spõtaneè, in emigratione impediri nequeunt, nec per jus Servitutis *art. 5. §. conventum, circ. fin.* nec coguntur decimam emigrationis solvere *art. 12. ibi, quod si verò subditus. circa fin.* idque cum illis liberum sit retentis bonis discedere, illaq; per alios administrare, & pro lubitu sine literis commeatus visitare. Decima enim emigrationis ex bonis solvitur, cumq; ad venditionem non coguntur, in illorum optione est, an decimam illam solvere velint, vel non.

Aliud erat dispositum *in R.* 1555. §. Wo aber unser / *ibi*, gegen ziemlichen billichen Abtrag der Leibeigenschafften und Nachsteur. Ibi conditionem juris indicat vocabulum gegen / quod jam in Instrum. Pac. *art. alleg.* exemptum & liberum est.

Vel Fides tangit Exercitium publicum, vel privatum

Ratione hujus terminus anni 1624. & quælibet illius pars norma & regula restitutionis est, contra quam nec pacta, nec reversalia, nec sententiæ, nec decreta valent. De pactis nimirum factis, loquitur textus *in* §. 2. *art.* 5. §. *pacta autem, ibi latis sententiis*, cum per facienda quilibet suo juri renunciare possit. Pacta tamen facta valent inter Aug. Conf. addict. & Reform. *art.* 7. *ibi, inter se & cum subditis suis conventis pactis.*

Terminus circa restituenda bona ecclesiastica & retinenda ad quadraginta annos fuit in Pacificatione Pragensi 1. Nov. 1627.

Ter-

Terminus autem à *Dn. Ignatio* Schützen dicitur duplex *in suo manuali pacifico.*

Unus, qui est quælibet pars anni 1624. quoad fidem, exercitium, cæremonias & annexa, alter, prima dies Januarii dicti circa bona ecclesiastica, & reditus, decimas, pensiones, census.

Ut in viam redeam; quoad Exercitium *publicum* & privatum ita disponitur, *art.* 5. §. 12. ut qui, sive Landsassii, sive Vasalli, sive subditi cujuscunque generis, sive publicum sive privatum Augusti. Conf. exercitium in Catholicorum Statuum ditionibus anno 1624. qualibet anni parte, sive certo pacto, aut privilegio, sive longo usu, aut sola denique observantia illius anni habuerunt, retineant & *id in posterum* cum annexis, ut *institutione* Consistoriorum, Ministeriorum, Scholasticorum, Ecclesiasticorum, jure Patronatus, & similibus juribus.

Sed ad quid, dicet curiosulus, hæc sunt, longo usu, cum refertur ad Observantiam anni 1624. cum unus anni nullum sit longum tempus, nisi id ex jure feudali, & quidem ex l. f. 26. *circ. fin. ibi, per unum annum, & ibi, parvi temporis*, propugnare velis.

Quid si *incolæ sint* parvi temporis, qui *domicilium non* habent; an *excluſi*, per *enumerationem* specierum, *Landsassiorum*, *Vasallorum*, *Subditorum*?

Quid, an sub verb. *retinere*, & *manent*, restitutio comprehendatur; cum possessoria retinendæ & recuperandæ ex natura contrariorum pro uno intelligi nequeant.

Quid? quod Statuum solum mentio fit, si habitarent in locis non Statuum, sed mediatorum. Sed illa non ad me, sed ad decisionem diætæ universalis.

Terminus ille anni vigesimi quarti nullum tamen præjudicium generat illis, qui ex capite amnistiæ, quod ad ann. 18. refertur, vel aliunde re-

restituendi veniunt. *art.* 5. §. 2. *ibi, terminus autem.*

Quid *Aliunde* sit, ambigitur, quod medium inter restitutionem amnistiæ, & restitutionem anni 24. constituere debeat.

Circa bona ecclesiastica

Observatur terminus anni 24. prima dies Januarii, ut qui tum sive Catholicus sive Aug. Conf. add. in reali possessione fuit, & imposterum gaudere possit *art.* 5. §. 3. licet ratione termini, videatur indici quælibet pars anni *in* 12. §. *ibi*, DICTO TEMPORE, & *ibi, cum omnibus pertinentiis & reditibus*: nisi ita concilia-veris, quod §. duodecimus agat de Templis, fundationibus, monasteriis & hospitalibus. Articulus verò tertius de ArchiEpiscopatibus, Episcopatibus, Prælaturis, Abbatiis, Baliviis, Præposituris, Commendis, & liberis fundationibus secularibus. Disponitur in *d.* §. 3. non nisi de bonis Ecclesiasticis immediatis, uti

verba sonant. *In R. de ann.* 1555. §. Dieweil aber etliche Ständ. nulla fit mentio sive bonorum mediatorum, sive immediatorum, sed solum illis antiqua possessio illorum relinquitur, qualia Ecclesiastici nec tempore *Passavicæ* translactionis nec post possederunt, nec ad immediatos, nec ad Status Imp. pertinent: Ubi & illa connectuntur, Immediatus & Status Imperii, quod benè nota.

In mediatis bonis,

Utpote monasteriis, collegiis, baliviis, commendis, templis, fundationibus, scholis, hospitalibus, aliisve mediatis, idem terminus primi diei Jan. d. ann. tam quoad restituenda, quam retinenda circa Principes & Status Imperii August. Confess. (sub quibus & hîc libera Imperii nobilitas comprehenditur *art.* 5. §. 10. *libera, ibi, beneficiis inde promanantibus*) observatur, rejectis omnibus aliis exceptionibus.

Ha-

Habent & ex illo termino Aug. Confeſſ. addicti in mediatis eccleſiaſticis bonis, ejus modi, qualia ibi enumerantur in §. nimirum, monaſteria, fundationes, ſodalitia, eccleſiæ collegiatæ, hoſpitalia, à Catholicis realiter poſſeſſis, jus præſentandi, viſitandi, inſpectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturæ, hoſpitationis, ſervitiorum, operarum, parochos & præpoſitos alendi. Si illa jura dicto tempore naturaliter poſſederunt, & illa inpoſterum illis ſarta tecta manent, *art. 5. §. omnia quoque monaſteria.* Additur *in §. ratione reditnum extra d. terminum* titulus legitimi juris & conceſſionis, cum hac lege, nè conceſſa jura nimium reditus gravent, quod intelligendum eſt de dimidio juxta juris Canonici diſpoſitionem.

Catholici

In ſimilibus mediatis bonis, quæ die 1. Jan. dicti anni poſſederunt,

idem jus restitutionis & continuandæ possessionis habent, ut & in Aug. confess. Stat. territoriis & ditionibus sita sint, quæ formalia, ut & an restrictiva, an ampliativa sint, vide *mie in Iurisp. publ.* quod acriter controversum memini.

Cum hac tamen limitatione:

Ne monasteria in alios religiosorum Ordines, quam quorum regulis primitus dicata sunt, convertantur, nisi ille Ordo planè interciderit; tunc Magistratui Catholico permissum sit, alios & quidem ex Ordine ante dissidia religionis, h.e. an. 1517. usitato, novos religiosos subrogare. Hic si dissidia religionis altius extendi vellent, nimirum ad initium Waldensis religionis, quæ tempore Friderici II. Imp. & Ludovici IX. Reg. Gall. in Gallia incepit, & Dominicani & Franciscani excluderentur, quod tamen à vero sensu Instrumenti pacis aberrat.

Redi-

Reditus, census, canones, decimas, pensiones quod attinet, promanant

Sive ex Catholicorum ditionibus §. *ratione reditnum*, sive ex alienis territoriis §. *reditus etiam*, quos Aug. C. Status restituendos petunt. 1. ex capite fundationum sive immediatarum sive mediatarum. It. sive ante, sive *post pacem* religiosam acquisitarum, 2. ex possessione quieta & reali anni 1624 1. Jan. ita ut necesse sit, illa duo concurrere in illa petitione, ex vocabulo connexivo, *quorumq; in possessione.*

Aliàs quod Catholicorum reditus, & census & decimas concernit, generaliter per repetitionem §. Dagegen sollen die Stände der Augspurgischen Confess. §. Als auch deren Ständen / confirmatum est *jus* Catholicorum, quod illis debetur, ne nimirum *in illis* percipiendis, quæ illis debentur, turbentur aut impediantur. Nec hic terminus an. 1624. opponitur, ut in reditibus Aug. C.

sed simpliciter relatio fit ad §. Es auch den Ständen / in quo §. enucleanda sunt verba illa, quod plus juris August. Conf. Status in redditibus Catholicis ex suis provinciis debitis, nec secularem jurisdictionem aliam, quam quæ *ante dissidia fuit*, usurpare queant. Sicque illo casu August. Confess. Status deterioris videntur conditionis quàm Catholici: Illi concluduntur tempore, hi non.

Dixi supra de Fundationibus.

Quæ si collapsæ sunt, observatur possessio percipiendi reditus ann. 1624. 1. Januar. Quæ post annum 1624. collapsæ sunt, vel in futurum concident, ex iis reditus debentur DOMINO destructi loci. Circa decimas novalium in alieno territorio idem term. 1. Jan. 1624. habitæ nimirum possessionis, pro recuperando & retinendo observatur. Ibique ponitur, *in alieno territorio*, quod nota ad differentiam,

ut

ut etiam illud valeat inter Catholicos & Catholicos, & Aug. & Aug. si Augusst. ex Catholico territorio novalia ex possessione anni 1624. petat.

Pactiones etiam voluntariæ hic conceduntur §. *reditus circ. fin.* quod jure Canonico non valet, nisi cum illorum consensu, quorum jus est, Papæ, Episcopi, Capituli & interessentis.

Jus reformandi, uti est territorii annexum *art.* 5. §. 12. *ibi*, *cum jure territorii*, nec à qualitate feudali, nec subfeudali, nec criminali jurisdictione, nec mero Imperio, nec similibus speciebus jurisdictionis universaliter consideratæ, nec jure patronatus, nec filiatione dependet. §. 14.

Ita & vi territorialis potestatis simile cum reliquis Statibus jus Reformandi Civitates Imperiales habent.

Illæ

Ubi unica religio ann. 1624. in usu fuit: ita ut Civitates Imperiales tàm quoad religionem, quàm quoad bona ecclesiastica, ut & in sacris & prophanis (quod vocabulum apud alios Status Imperii non invenitur) juxta Statum dicti anni reponantur. §. 11. *art.* 5. Quid si Magistratus vel ex universo, vel aliqua illius membra religionem antiquam mutent, sitque civitas, in qua utrumque religionis exercitium viget: 1. An mutans perdat dignitatem. 2. An si universus Magistratus mutet religionem, illam quam assumpserunt, ut alii Status Imperii, introducere queant, ita tamen ut prioris religionis cultores tolerare cogantur. In utroque pro negativa concluditur: ad 1. ex vocab. *prophanis*; ad 2. ex eod. §. 11. *ibi, in quibus unica tantum religio*, & *ibi, ante omnia verò.*

Iurì-

Ex R. I. ann. 1555. §. Damit auch obberührte beyderseits Religions-Verwandte contra Aug. C. addictos, ad effectum religionis fidei, ceremoniarum, ordinationis ecclesiasticæ, ministeriorum suspensa est, in reliquis tamen & quoad suos reditus, *census*, decimas, pensiones & *reliqua jura* integra manet.

Ibi jurisdictionis Ecclesiasticæ mentio fit: In Instrumento Pacis additur jus diœcesanum, ad quod & decimarum dispositio, & multa alia pertinent: Quantum diœcesanum jus & jurisdictio ecclesiastica discrepent, quasq; utrumq, habeat species, vide *me in Iurispr. publ. de Episcopis.*

In dicto Instrum. §. 16. art. 5. Jus diœcesanum & jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Status, Nobiles immediatos, eorumq; subditos (an & contra proprios ex §. hoc) suspensa esse jube-

jubetur, nondum verò sublata est: sic ampliatur d. R. ann. 1555. ubi nec diœceseos, nec cum omnibus speciebus jurisdictio eccles. suspensa esse memoratur. Dicitur autem in Instr. d §. quod jurisdictio Eccles. ad consequendos reditus, census, decimas, pensiones NB. in iis Aug. Conf. Statuum ditionibus, ubi Catholici ann. 1624. notoriè in possess. vel quasi exercitii jurisdictionis ecclesiasticæ fuerunt, exerceri adhuc possit. E. in reliquis non. An illud tamen æquipollet solum, an per illud Statuum, excluduntur reliquæ Imperii membra?

Jurisdictio Eccles. contra Aug. Conf. addictos sub memorato modo exerceri potest, & quidem cum excommunicatione, sed non nisi post tertiam denunciationem & dummodo per talem excommunicationem nihil conscientiæ repugnans injungatur August. Confess. Ad quid igitur excommunicatio, quæ excludit vel à gremio ecclesiæ,

vel

vel à communione fidelium. Et hoc conſcientiam lædere crediderim.

In Civitatibus Imperii mixtæ religionis nulla omnino eſt juriſd. eccleſ. Sic civitates eo caſu melioris ſunt conditionis, quam Principum & aliorum Statuum territoria.

Archi Epiſcopi & Epiſc. Aug. C. ex art. 5. & 6. tenentur

1. Intra annum electionis & poſtulationis juramentum fidelitatis ut in feudis regalibus præſtare.

2. Ultra taxam ordinariam, adhuc illius dimidium pro infeudatione pendere, quod dimidium in locum annatarum ſucceſſiſſe puto.

3. In Capitulationibus ſuis & in epiſcopat. mixtis ſe ſuſceptam eccleſiaſticam dignitatem nequaquam hæreditario jure poſſidere velle, vel acturos, ut hereditaria fiant, ſpondere § 4. *ibi, poſtulati.*

4. Cui accedit, quod in mixtis Epiſcopatibus nihil admiſceri debeat, quod conſcientiam vel cauſſam unius vel alterius partis lædat. §. 4.

Nul-

Nullius horum in Pacificatione Pragensi ann 1635. mentio facta est,

Sessionem & votum habent
Postulati

In universalibus & particularibus Imperii diætis d. §. & quidem scamno transverso §. de titulo.

Salutantur

Nomine Electi sive Postulati in ArchiEpiscopum, non ArchiEpiscopi sive Episcopi. §. d.

Privantur ut omnes ecclesiastici, ubi antiquam religionem deserant, omni jure; salvo honore & fructibus perceptis & consumtis §. si igitur.

1. Illud, de quo an Catholicis competat, quidam ambigunt, vacante Episcopatu jus Comitiorum, voti & sessionis Capitula Aug. Cōf. citra dubium habent. §. 6.

2. Vacante sede, jurium Episcopalium exercitium possident §. 4. quod quomodo in Catholicis restringatur, vide *me in Roma Nova.*

3. No-

3. Nobiles, Patricios, gradibus Academicis insignitos, aliasq; personas idoneas, modo id non adversetur fundationi, admittere tenentur §. 4. *circ. fin.*

Canonicorum

1. Numerus regulatur ex usu anni 1624. 1. Jan.

2. Menses papales, si anno 1624. in usu fuerunt, quoad Catholicos & imposterum observantur.

In bonis ecclesiasticis Aug. Conf. immediatis

Annatæ, pallium, confirmatio, menses papales & hujusmodi jura validitate carent *art. 5. §. Si quid annatarum.*

Ius primariarum precum competit Imperatori

In immediatis beneficiis ecclesiasticis, ubi antehac exercuit, §. *ubi sacra.* In Catholicis & August. Conf. *d.* §.

In

In mediatis verò, illud antehac restringitur ad tempus 1. Jan. a. 1624. ita ubi illo tempore præsentarit, & imposterum prælentare queat. Ita in immediatis laxior est Imp. potestas, quam mediatis.

Ubi controversia est inter Aug. C. & Reformatos, id novum est, quod

1. EMIGRANDI NECESSITAS inter tales locum non habeat *art.* , §. *Salvis tamen, ibi, salvâ cujusq; libertate.*

Et quod

2. TERMINO ANNI 1624. pacta & reversalia derogent inter illos facta *art.* 7. *ibi*, *conventis pactis*, quod inter Catholicos & August. Conf. non est.

3. Ubi posthac, hoc est, post publicatam pacem Osnabrugensem transierit ad sacra aliena sive territorii dominus, sive Patronus, omnia ratione religionis, bonorum, legum ecclesiasticarum, scholarum, pensionum, salariorum, reditnum, & ministeriorum in antiquo statu relinquere debet.

4. Quo

4. Quo casu licet Communitatibus antiquæ religionis præsentare, vel quæ præsentandi jus non habent, nominare à Consistorio examinandos, sicque à Principe absque contradictione confirmandos.

5. Sed tamen *mutanti non negatur* concionatorem *habere* suæ confessionis *citra* subditorum ōnus §. *d.*

6. Consistoriales, Professores Scholarum & Academiarum, Theologiæ & Philosophiæ, non nisi eidem religioni, quam quæ tempore Pacis fuit, addicti esse debent. *d.* §.

Extra has limitationes idem jus inter illos est, quod Pacificatio inter Catholicos & August. Conf. add. constituit *art. 7. in init.*

Hæc sunt decisa; quæ autem dubia remanserint circa ecclesiastica & nondum satis declarata, dabunt sequentia per dictaturam in Comitiis anni 1653. communicata.

In

In Ecclesiasticis; worunter nicht allein die Religions-Ubung/ sondern auch die geistliche Güter/ als Kirchen/ Clöstern/ Renten/ Zinß/ Zehende/ und was denselben de jure & justitia anhängig seyn mag/ verstanden werden/ finden sich nachfolgende strittige Materien.

Die Frag de civitatibus mixtis Imperio immediatè subjectis, wo nemlich in einer Reichs-Stadt die gantze Gemeine und Bürgerschafft dem Magistrat mit eingeschlossen/ getheilter Religion ist/ und jeder Theil einen öffentlichen Kirchgang und Ubung seiner Religion vor dem Jahr CHristi 1624. hergebracht/ und dessen zu dieser Zeit in possessione vel quasi gewesen ist/ ob in solchem Stand dem einen oder andern Theil/ frey und unverwehrt seyn solle/ was zu Beßerung/ Vermehrung/ Erhaltung/ Trost/ Wolstand und Nothdurfft seiner Religions-Ubung dienlich seyn kan/ es bestehe nun solches in Auffrichtung neuer Stifftungen/

Kir-

Kirchen/ Schulen/ Clöster/ Einführung oder Verenderungen geistlicher Personen/ ungeachtet dergleichen Anno 1624. den 1. Jan. nicht verhanden gewesen/ auff seinen eignen Kosten/ ohne Schmählerung des gemeinen Guts einzuführen und vorzunehmen.

De jure reformandi in Civitatibus, ob einem Lands-Fürsten oder Lands-Herrn verwehrt seyn solle/ in einer Ihrer zugehörigen municipal- und Lands-Stadt für sich selbst/ sein Hof-Gesind/ oder auch für die der Enden befindliche Catholische oder der andern Religion zugethanen Unterthanen/ so viel deren de facto verhanden/ oder noch künfftig darzu kommen möchten/ die jenige Kirchen/ Clöster und Gotts-Häuser so öde stehen/ und verlassen seynd/ gleichwol aber dem Bürgerlichen Magistrat nicht/ sondern dem Lands-Herrn/ oder einer geistlichen Obrigkeit/ welche derselbe in spiritualibus für seine Seelsorger erkennet/ zugehörig seynd/

zu seinem Gottes-Dienst zu gebrauchen / denselben darin auffzurichten und einzuführen / oder aber hierzu neue Kirchen zu erbauen / wann er schon im übrigen solcher municipal-Stadt an ihrem freyen exercitio oder andern Religion / wie sie solches Anno 1624. eingehabt / gebrauchet und geübet haben / keinen Eintrag thut / noch auch zu thun begehret.

De jure exercendi Religionem cuiq; propriam inter condominos unius ejusdemque territorii, wann nemlich zweyerley Ständ / deren einer der Catholischen Religion / der ander aber der andern Confession zugewand / eine gemeine Herrschafft / mit aller hoher und niedrigen Obrigkeit / zugleich in Besitzung haben / ob denjenigen / welcher einer andern Religion / als die Inwohner des Orts / gemeiniglich zugethan ist / seiner Religion öffentliche Ubung in derselben Kirchen zu gebrauchen und dabey auch die jenige Unterthanen zuzulassen / welche seiner Religion schon zuvor ge-

gewesen / oder erst neuer Dinge darzu treten / ungeachtet dergleichen Religions-Ubung / in selbigen Kirchen an. 1624. nicht im Brauch gewesen were;

Würd auch bestritten ob die jenige Geistliche Zinß und Gülten / welche unterm Gebiet eines Standes der Augsp. Confession gelegen und von demselben anno 1624. und davor eingezogen worden / obgleich das Closter wozu sonsten solche Zinß und Gülten von Alters hero gehörig gewesen / nicht unter desselben Gebiet gelegē / in Krafft des §. *Quacūq; Monasteria*, ihme noch fürters verbleibē / und nicht wiederum zu dem Closter / worzu die fundirt und gestifft waren / gefolgt werden sollen.

Si scire ortum, & augmentum Protestantium cupis, te ad *Sleidanum de Statu Religionis in Germania* remitto, qui pleniusilla habet, quam quod ab ullo alio describi queant; adjecitque fragmenta *Hortlederus*, & sparsim de his quid protulit *Thuanus*, homo uti externus & natione Gallus, ita & excusandus, quod

plenam adeo rerum externarum notitiam non habuerit. Historicum ego hic agere nolo, ne crambem recoquam, hoc solum delibare placet, in quibus Romano-Catholicis sint æquales Augustanæ Confessionis addicti, in quibus minores. Et superioribus, quæ statum Religionis & bonorum ecclesiasticorum concernunt, ad meliorem dilucidationem hæc addi merentur.

Et quidem necessarium & in salutem Protestantium fuit, regulam præliminarem hanc in Instrumento Pacis Cæs. Suec. ponere, quod majora vota in Comitiis non solum in causis religionis, sed & in omnibus aliis negotiis, in quibus Catholici & August. Conf. addicti in duas partes eunt, non attendi debeant. Ultra enim, quod Religio non obedit majori sed potius saniori parti, prævalent & voris Catholici in Comitiis universalibus, tam in Senatu Electorum quam

Prin-

Principum; Minores vero sunt in Senatu Civitatum, quarum in primis major & optima pars sequitur Augustanam Confessionem, cum præcipuæ civitates Imperiales & emporia extra Coloniam & Aquisgranum se addiderint dogmati Euangelico: *Augusta mixtæ religionis est, &, si (salvo tamen per omnia jure Sueciæ) Bremen inter Imperiales poni fas esset, hæc inter omnes alias unica est, quæ Reformatorum fidem profitetur, difficulter ibi Augustanæ Confessionis addicto in Senatum intromisso.* Cæteræ civitates & si quæ Catholicæ vel mixtæ fidei sunt, parum potentiæ habent, & proinde in considerationem non veniunt. Quicquid autem sit, & an Civitates Augustanæ Confessionis sive numero sive potentia præponderent, parum ad augendas partes Augustanæ fidei facit, cum Senatus Civitatensis in suffragio suo Comitiali,

quod habet decisivum, non adeo magni fiat, nec prius ad re- & correlationem admittatur, quam cum in unum majora collegia convenere, & ubi refragantur consultum commune nihilominus Cæsari exhibeatur, & si à refragantibus tum multum obtinetur, dissensus Civitatum inseritur dicto consulto, vulgò dem Reichs-Gutachten: Ita ut sufficiat Catholicis, quod in duobus majoribus collegiis reliquos suffragiis antecellant: Et quamvis in Deputatorum conventu per Instrumentum Pacis Osnabrugense sancitum sit, quod Deputati parem utriusque religionis esse debeant, ita ut & Electorale collegium, quod diversim & discretè consultat, male id Principum conclavi ferente, in quod & admittuntur civitates diverso à Comitiis universalibus more, cumulativam alternativam Protestantium Electorum, ad parificandum numerum, juxta Recessum

anni 1654. admittat; æqualitas tamen illa in conclavi altero non invenit locum, cum Catholici uno voto prævaleant. Habent & hoc præcipuum dictæ fidei addicti, quod Cancellaria tam Cameræ Imperialis, quam *judicii aulici*, tam quoad *constituentem* (*Elect. nimirum Moguntinum*) quam quoad membra *ordinata*, ex toto Catholica *sit*; *quod octodenarium numerum judicii* Aulici Augustanæ Confessionis Consiliarii aulici, non nisi quoad tertiam compleant; quod judex Cameræ Imperialis, & Præses judicii aulici, non nisi ex Catholica fide à Cæsare desumatur; quod in Camera Imperiali Catholici assessores duo plus numero sint, quam reliqui, qui ultra viginti quatuor non excurrunt; quod præsentantes Augustanæ Confessionis Electores non nisi tres, contra Catholici quatuor, & circuli unius religionis, Augustanæ nimirum Confessionis, solum duo, alii vero tres sint; ita ut

quocunque rem vertas, semper in Germania Catholici in anteceſſum quid habeant. Quæ ut ſingula penitius introſpiciamus, ordiemur à Comitiis univerſalibus, in quibus Collegii Electoralis majora faciunt *Elect. Mog. Trevir. Colon. & Bavarus, in conclavi* Principum præter *triginta ſex* vota ſcamni *eccleſiaſtici conſtituunt* reliqua Bäyern/Pf. Neuburg/Braunſchw. Calenberg/Baden-Baden/& recens *recepta fide Catholica* Mechlenburg-Suerin. Sequitur *Lotharingen*/ Savoyen/Leuchtenberg/Arnberg/ Suerin & Ratzenburg/(quos duos ex Epiſcopatibus factos Principatus ſeculares & hæreditarios poſſident Mechlenburg-Suerin) item Sayn/ Lauenburg/Hohen-Zollern/Eckenberg/Lockowitz/Salm/Naſſau-Hadamar/Auersberg/& votum curiatum Comitum Suevicorum, quod & pro Catholico computatur, ita ut in univerſum faciant vota quinquaginta quatuor, & ſi accenſeres

Epi-

Episcopum Cameracensem, Seduenensem, & Prælatum Reichenaviensem, ex quibus tamen ultimo votum disputatur, primi reliqui verò Imperium vix magis agnoscunt, accrescerent adhuc tria. Vota verò Augustanæ Confessionis in scamno seculari Collegii Principum sunt, Pf. Lautern/ Pf. Simmern/ Bremen/ Pf. Zweybrücken / Pf. Lauter Eck aliàs Veldenz/ Sachsen-Altenburg/ S. Coburg/ S. Weimar/ S. Gotha/ S. Eisenach. Brandeburg Culmbach/ Brandeb. Anspach/ Brunsuic Wolffenbüttel/ Br. Cell/ Br. Grubenhagen/ Br. Calenberg/ Verden/ Halberstadt/ & ex domibus alternantibus Vor-Pommern/ Hinter-Pomern/ Wirtenberg/ Hessen-Cassel/ Hessen-Darmstadt/ Baden-Durlach/ Baden-Hochberg / Mechlenburg-Gustrou. Sequitur Minden/ Holstein-Glückstadt / Holst. Gottorp/ Anhalt / Henneberg / Hirschfeld/ Mompelgard / Nassau-Dillenberg/

Votum curiatum Comit. Wetterā-
vicorum, Franconicorum & West-
phalicorum, quibus ubi adjeceris
Magdeburg & Lübeck ex scamno
transverso Postulatorum, & Osna-
brück / quod tamen ob alternativam
mox ab Augustanis, mox à Catho-
licis partibus stat, tunc vota erunt
Augustanæ Confessionis in Colle-
gio Principum, 41. ita ut reliquis
numero cedant: Si verò metiaris
potentiam, hæsito, cui major attri-
bui debeat. Stant à parte Catholi-
corum præter ArchiEpiscopos, do-
mus Austriaca, Burgundica, Bava-
rica, & Palatino-Neoburgica, ultra
tot insignes, & opulentos Episcopa-
tus, inter quos eminent (loquor de
redditibus) inprimis Bambergensis,
Herbipolitanus, Monasterienſis, &
Leodiensis. E contra tenent Au-
gustanam Confessionem Rex Sue-
ciæ, Rex Daniæ, ratione terrarum
Imperii hic considerati; & præter
domum Palatinam Electoralem, &
Bipontinam, Saxonica, Branden-
bur-

burgensis, Brunsuicensis, Megapolitana, Wittenbergensis, Holsatica, & si quæ sunt potentiâ minores familiæ; Quantum possint prædictæ, docuerunt vel hæ vel illæ in fœdere Smalkaldico. Multum possunt, modo in unum consentiant, nec se patiantur separari occasione particularis cujusdam litigii, sed remittant privata damna publico bono, & servandæ Religioni.

A Comitiis generalibus progredior ad Electa, vulgò Deputatorum Conventus: In his sancita est per pragmaticam sanctionem pacificationis æqualitas utriusque religionis; Si in uno conclavi sederent, res in salvo esset: Cum verò Electores nolint Principum collegio associari, æstimantes id repugnans præeminentiæ suæ, unde ergo illa æqualitas? Non loquor de Collegio Electorum, in quo alternativa invenit locum, ut paritas obtineatur, sed sermo hic est de Collegio Principum, in quo agunt Deputatos

ex parte Catholicorum, Austria, Burgundia, Herbipolis, Ep. Costniz/ Ep. Münster/ Dux Bavariæ, Prælat. Weingarten/ & Com. Fürstenberg una cum civitatibus, quæ cum deputatis Principibus sedent in uno conclavi; Sunt autem Civit. Esslingen/ Zach/ & Uberlingen. Et ita faciunt undecim suffragia: Ex parte verò altera sunt Saxen-Altenburg (sive ut Vinarienses volunt, Vinarici simul) Brandeburg, Culmbach/ & competente Anspach/ Pommern/ Hessen/ Mecklenburg/ Wirtenberg & Comites Wetteravici, cum Civitatibus Regenspurg/ Nürnberg/ & Straßburg: Habent hi unum minus quam anteriores, & si Jülich/ quod semper ab antiquo habuit deputatale suffragium, eo adhuc realiter gauderet, tum duobus votis præponderarent Catholici.

Quod præsentationem Assessorum attinet, in illam primum ann. 1495. à Maximiliano I. & Statibus Ger-

Germania in sex Circulos divisa fuit, ita ut Saxonicus superior & inferior, ut & Rhenanus superior & inferior pro uno caperentur. Qui successu temporis cæperunt dividi, additis Austriaco & Burgundico, ita ut essent decem, qui tamen in præsentatione Assessorum contrahuntur in novem, omisso nimirum Electorali Rhenano, cum per se præsentent Electores. Dividuntur ex communi usu loquendi Circuli in mixtos ex utraque Religione, & uni religioni addictos, quales sunt Augustanæ Confessionis duo, Saxon. super. & inferior: Quamvis & in his circulis Catholici non careant possessionibus. Nominantur interim dicti Circuli in Instrumento Pacis simplices, discriminanturque à mixtis, qui sunt Franconicus, Suevicus, Rhenanus superior, & Westphalicus. Sunt Catholici Circuli unius religionis, Austriacus, Burgundicus, &

Bavaricus, ita ut tres sint numero, & in primo & secundo Augustanæ Confessionis addicti nihil habeant, nisi ubi, quod Burgundicum attinet, illa velis censere bona, quæ ad Confœderatos Batavos pertinent, & in Bavarico Ratisbonam civitatem exemeris, quæ Augustanarum partium est. Præsentant verò circuli mixti cujusvis Religionis duos, ita ut adjiciant Augustanæ Confessionis addicti unum alternando inter se: Saxon. super. & inferior præsentant singuli quatuor, ita ut & unum mediante alternativa adjiciant. Bavaricus quatuor, & Austriacus & Burgundicus singuli duos præsentant, quibus si adjicies à singulis Electoribus duos, & à Cæsare totidem, habebis numerum quinquaginta assessorum, demonstrante id aliquantulum clarius subnexo schemate:

August. Conf.		*Catholici.*	
1.		Cæsar	2
Elect. Saxoniæ	2	El. Mog.	2
El. Brandeburg.	2	El. Trevir.	2
El. Palatinus	2	El. Colonienſ.	2
C. Sax. ſup.	4 (1. alternādo)	El. Bavarus	2
C. Sax. infer.	4 (1. alternādo)	C. Auſtriac9	2
		C. Burgund.	2
		C. Bavaricus	4

Circ. mixti.		*Circ. mixti.*	
Circ. Franconicus	2	-- --	2
Circ. Suevicus	2	1. alter-	2
C. Rhenanus ſup.	2	nando	2
Circ. Weſtphalic9	2	-- --	2
	24		26

Et hactenus de parificatione utriuſque religionis in Germania, quæ felicior eſſet, ſi unitate fidei gauderet, &, quod maxime optandum, Aug. Cōfeſſio in cordibus omnium fidelium plantari poſſet, ita ut haberemus unum ovile, unam fidem, unum

mum dominum, & unam legem, sed, quod metuendum, dissensiones fidei erunt, donec Germania, gliscentibus interea sectis odiis. Felicius est Sueo-Gothicum Imperium, quod licet longe lateq; extendatur, aliam tamen quam *August. Confessionem* & quidem prudenter non admittit, concessâ quidem & aliis habitandi facultate intra regnum, sed extra tam publicum quam privatum religionis exercitium: Induentq; successu temporis Lappones armaturam fidei, cum hinc & inde constituantur ecclesiæ informandæ genti. Hispania Catholicam quidem fidem, tota quanta est, cum annexis suis membris & pertinentiis unicè agnoscit, & in inquirendos diversæ religioni addictos Inquisitionem primo contra Judæos & Saracenos inventam, & postea contra alios etiam licet Christianos dilatatam introduxit, ab illaque neminem licet peregrinum & viatorem, extra

negotiantes, inprimis Britannos & Hanseaticarum Civitatum incolas excipit; sed illa inquisitio ut coactivum remedium non tamen tantum valet, quod Judæos & Mauriscos sub Christianorum nomine tectos explorare possit, quorum in Regnis Hispaniarum egregius adhuc est numerus: Hincque est, quod hoc hominum genus, licet apud ipsos ejuraverint fidem, officiis inprimis Ecclesiasticis excludat & quidem intra tertiam generationem. Polonia tolerat cujusvis Religionis homines, sed munerum publicorum portæ ibi non nisi Romano-Catholicis patent: Alias tolerat præter Augustanam & Reformatam Confessionem, Anabaptistas, Arrianos, Armenicæ, & Græcæ fidei assecias: Imprimis habet maximam Judæorum colluviem, cui & vectigalia more satis incolis nocivo locat. Videnturque Judæi in Sarmatia quasi semi-Imperio frui. Venetiis ob commerciorum utilitatem adeò

rigo-

rigorosè in discretæ religionis homines non inquiritur, ultra quod Græcæ fidei permittatur ritus ecclesiæ Græcanæ, & publicum Religionis exercitium.

CAP. XXIV.

De Protectione.

CUi administratio, illi & tuitio competit. *Vicarii* tamen titulo protectionis universalis, der gantzen Christenheit Schutz, und Schirm Herr / qui Imperatori tribuitur *R. l. Aug. ann.* 1518 §. Erstlich / non utuntur. Ultra quod speciales protectores quidam habeant. Lindaviæ quondam interregni tempore Abbas S. Galli protectionem gessit *ob. Stumf. in Chron. Helvet. l. 5. c. 6. fol.* 309. *c.* 9. *fol.* 333. Aliàs & extra tempus interregni multa loca sibi elegerunt particulares Protectores, quæ electio hodiè solum immediatis, nó verò mediatis Imperii membris (ut nimirum exteros assumant) competit.

petit. *Capit. Leopold. Aug. art. 8. & 9.* Secus autem est de immediatis & mediatis, quæ intra Imperium sibi sumunt protectores, *arg. d. cap.* Sic olim Treviris, cum adhuc immedietate frueretur, sub Archiepiscoporum Trevirensium clientela fuit: *Kyriander cap. 17. vers. & in superioribus*; Anno 1302. Henrici Comitis Lüzelburgensis tutelæ se credidit. *Mager. de advocat. c. 5. n. 523.* quam postea ann. 1365. Johannes Dux Lotharingiæ in patrocinium suscepit. *Mager. d. cap. 5 n. 524.* Velontium protectores habuit Comites Catilonenses *Chiflet. part. 1. c. 53.* Argentina sub Rudolphi Comitis Habspurgici postea Imperatoris alis tutoriis vixit. *Simler. de Republ. Hel. Mag. de adv. arm. c. 5. vers. ita quoq;* Civitates Hanseaticæ olim tutelâ Magistri Ordinis Teutonici imploraverunt: *Albert. Kranz. Vand. l. 11. c. 34.* Eberhardus Wirtenbergię Comes viginti quatuor Civitates Sueviæ in protectionem

ctionem à Carolo IV. Imp. acceptã, postea in Rupertum Palatinum Comitem translatam: *Mager. de advoc. c. 5. n. 529.*

Hodiè Comites Lövvensteinenses sub protectione Regis Bohemiæ particulari constituuntur: *Author deß Wertheimischen Gegenberichts contra Würtzburg part. 2. fol. 312. in Inform. ad Cæsar.*

Erphordia, Civitas Moguntina municipalis, Mülhus. & Northus. liberæ urbes cum onere annuæ pensionis sub patrocinio Elect. Sax. Heilbrunna, Schvvinfurtum, Spira, Wormatia sub umbone Electoris Palatini; Decem Alsatiæ Civitates Landvogticæ sub Præfectorum Alsatiæ clientela constitutæ sunt.

Reutlinga & Eslinga sub tutela Ducum Wirtenbergiæ, Wezslaria & Cronberga, & hæc mediata adgentem Cronbergicam pertinens Civitas, sub defensorio Principum Hessiæ stat. *Knipschild de Civitat. l. 2. c. 24. n. 22. & seqq. usq; ad n. 33.*

Hel-

Helvetii Protectores sunt Rotvvilæ, Mülhusii *sup.* ut & Comitatus Burgundici vulgò *la Franche Conté*: Iidem à Julio II. Papa declarabantur defensores Ecclesiæ, qui titulus soli Imperatori de jure aliàs competit. Rex Hispaniæ in patrocinium Rempublicam Genuæ & Lucæ suscepit.

Ordines *Belgii* confœderati protectionem *Civitatis* Embdæ obeunt. Turca protectionem pactitiam & lucrativam Principatus Transylvaniæ suscepit, ut & Ragusa Dalmatiæ Civitas libera, sub Clientela Turcica onerata annua pensione duodecim mille coronatorum vivit. Habent & singula Regna Catholica inter Cardinales *suos* protectores, qui vacantia beneficia *in* Consistorio proponunt. Ordo *Melitensis* in Germania Comitem Palatinum Rheni Electorem Protectorem privilegiorum suorum agnoscit. Et certa opificia & artificia suos singulares

prote-

protectores habent: Sic Elector Saxoniæ est judex & patronus tubicinum & buccinatorum der Trompeter *Limnæus tom. 3. l. 3. c. 10. n. 27.* Elector Palatinus est protector der Keſſeler in tractu Rhenano, Alſatia & certis Franconiæ limitibus, quam protectionem in Franconia Zobeliis in ſubfeudum dedit, cum emolumento, ut ſuppellectilem cupream iis gratis miniſtrare teneantur, *Mag. de advoc. c. 15. n. 120.* Habent & in certis diſtrictibus Marchiones Brandeburgici eandem dicti opificii protectionem, de qua *Limn. tom. 4 l. 5. c. 7. n. 141.* Sic & protectionem deß Haffner, Handwercks habere familiam Offenburgenſem, teſtatur *Beſold. Theſauro Practico vocab.* Keßlerſchutz.

Sunt & certa ædificia quæ ſuos patronos & protectores habent, uti Romanæ tres ex ſeptem principalioribus eccleſiæ: Templum Divi Petri Imperatorem, Eccleſia S. Johannis Lateranenſis Regem Galliæ protectorem

rectorem agnoscit, & olim Ecclesia D. Pauli sub Regum Angliæ clientela erat.

CAP. XXV.

De Iure Civitatis.

CUm ex veriore Dn. *Schützii* contra Limnæum in Imperio recepta opinione omnia Vicariis liceant, quæ in A. B. prohibita illis nõ sunt, quidni ergò & reservatum illud Vicarios exercere posse concedetur.

Ponitur illud reservatum inter reservata Imperatoris libera, quæ & absque Statuum & absque Electorum suffragio peragit. Quodq; Reservatum sit, docuit antiquitus *Cujacius in l. 1. C. de metropol.* patet idem ex *Spec. Sax.* Landrecht *art. 26.* Weichbild *l. 1. art. 9.* Ubi extructio Civitatis consensum Principis territorii & Imperatoris requirere dicitur.

Atque hoc juri civili congruum esse tradit *Alciat. in l. pupillus §. urbs*

urbs n. 42. ff. de V. S. Nec à jure Canonico dissonare statuit *Innocentius in c. Ecclesiarum n. 1. x. de offic. ordinar.* Accedunt exempla: Sic Imp. Fridericus I. Cæsariensibus jus Civitatis dedit. *Natta cons. 636 n. 10.* Conradus filius Friderici II. Imp. (quem tamen multi inter Imperatores non ponunt) Johanni Episcopo Mindensi potestatem duo oppida in sua diœcesi, ubi placuerit condendi, concessit. *Diplom. Mindens. apud Pistor.* Ludovicus IV. Imp. Friderico Burggravio Norinbergensi libertatem indulsit, ut Civitatem in Grundlach constitueret, illam muris, fossis, & aliis muniret. *Goldast. tom. 1. constit. Imperial. fol. 330.*

Hinc Maximilianus I. cum Albertus Comes Mansfeldicus propè Islebiam vicum in Civitatem mutare decrevisset, mandatum inhibitorium contra Comitem promulgavit. *Thom. Michael de jurisdict. conclus. 12. lit. c.*

Meminerat enim præcedentium exem-

exemplorum, & quod anteceſſores ſui ſemper id ſpeciali conceſſione indulſerant, qua opus non fuiſſet, ubi id communi jure licuiſſet, *l. un. C. de Theſaur.* Sic Ludovicus Bav. Imp. Gerhardo Spirenſi Epiſcopo jus Civitatis in vicum Udenheim dedit, das Dorff Udenheim zu einer Stadt zu bauwen/ und die mit Mauren und Graben zu umbfahen und zu befäſtigen. *Limn. de jur. publ. l. 2. c. 9. n. 128.*

Imp. Fridericus IV. an. 1465 Nobili Ruſſio de Thungen poteſtatem dedit, ut ad caſtrum Thungen Civitatem poneret, illam muris, turribus, portis, pontibus, foſſis, & aliis munimentis clauderet, ibique Senatum ex civibus loci eligeret. *Beſold. de jur. Majeſt. ſect. 3. c. 8. in fin.*

Dubium inde alicui moveri poſſet, quod jus condendi Civitatem potius inter Regalia Statuum, quam Reſervata Imperatorum poni deberet, cum Henricus Leo Dux Bavariæ & Saxoniæ, circa tempora Fride-

rici I. Magnus nomine & re Imperii Princeps, Lubecam Civitatem & emporium propria authoritate cõstituerit. *Helmold. lib. 1. Chron. Slav. 86.* Quodque Adolph. Com. Pal. Rheni avus Ruperti Pal. Imp. Civitati Ogersheim spiritum & vitam civitatis dederit. *Munster. Cosmogr. l. 5. c. 149.* Item quod El. Palatinus Fridericus IV. ex monasterio Frankenthal civitatem fecerit, & Dux Wittenbergicus Freudenstatt condiderit, quodque Comes Hanoviæ civitatem suam ampliaverit pomeriis extensis: Omnes non habita speciali Imperatoris voluntate. *Knipschild de Civitat. l. 1. c. 6. n 5. & 6.* Sed optimè refellit dubium illud *d. Knipschild d. l. n. 15.* Utrumque Imperatoris consensum, tàm expressum quàm tacitum sufficere, adducens rationem *ex Valasc. in l. Imperium 79. ff. de jurisdict.* Eoque collimat, quod patientia & taciturnitas summi Principis hoc in casu operetur specialem concessionem, sed nõ abdicationem

sui

sui reservati, cum id cohæreat ôssibus Imperatoris, nec avelli, nec præscribi possit; jura enim publica talia ignorant, per *l. competit. C. de præscript. 30. annor.* Regeret forsan curiosus antiquitatis scrutator, jus muniendi non reservatis, sed juri territoriali associari, docente *Colero de jur. Imper. sect. 26.* & multis aliis, quos recenset *Knipschild de Civit. l. 2. c. 22. n. 74.* Itaque practicari in imperio, teste experientia: Majus verò quid esse, castra, quam civitatem extruere, cum ex illis majus in summum Principem redundet periculũ: Cui majus competere, quidni & minus *c. si ergo 16. causs. 8. quæst.* & in majoribus cautione opus sit, *l. 1. §. 5. de Caroniã. edict.* Hinc & in Hispania, Gallia & Anglia domos nec vallo, nec fossa, nec mœnibus vallare licere absque speciali Regũ permissũ, testatur de Hispania *Gomez. in leg. Tauri l. 46. n. 10.* De Gallia *Coquille ad consuetud. Nivern. 1. de just. art. 7.* De Anglia *Bodin. de Republ. l. 5. c. 5. n. 559. & 567.*

Imò in Polonia absque Reipublicæ consensu, nec Regi id licet. Et in jure Romano murorum extructio speciale consultum Imperatoris desiderabat *l. operibus ff. de oper. publ.* quamvis cuivis licuerit prædia municipali ambitu circumdare *l. provinciales C. de ædif. privat.* est enim differentia inter muralem ambitum & muros; Rem ex modo ædificandi cognoscens: Muralis ambitus contra vim non valet, sed solum ad custodiam sufficit. Ita legitur im Schwabenspiegel c. 234. *ibi*, man mag wol bauwen dreyer Gaden hoch ohne sein deß andrichters Erlaub / mit Holtz oder mit Steinen / ob der Erden ohne Zinnen und ohne Brustwehr / und ohn alle Wehren. Man mag auch einen Hof ohne sein Erlauben ebener Erden umbfahen mit einer Mauer / die also hoch ist / so ein Mann sitzet auff einem Roß / daß er wol zu oberst darin gerechen mag mit der Hand ohne Zinnen und ohne Brustwehr / und ohne aller Schlachtfestung / in derselben Weise

mag

mag ein Mann seinen Hof mit Holtz umbmachen. Et c. 235. Man sol keine Burg bawen mit Vestung ohne deß Landrichters Erlaub. Hæc est differentia inter fortalitium, seu murorum vallationem, & muralem ambitum. Sunt tamen, ut ad priora redeam, alii in hac opinione, quòd fortalitia extruendi potestas requirat *speciale*m Imperatoris concessionem. Moventurque his rationibus; *Imperatorem* Fridericum Civitatibus quibusdam Lombardiæ, Romaniolæ & Marchiæ, ut munitiones extruerent, concessisse, *tit. de pac. Constant. §. Vasalli vers. Civitates murare vel extra munitiones. In usib. Feud. in fin.* Idemque jus Ludovicum IV. Civitati Francofurtensi, die Stadt mit Maur und Vestungen weiter zu greiffen dedisse. *Privil. Francfurt. circa ann.* 1332. ut & Sigismundum Imp. Episcopo Spirensi in diœcesi sua munimenta erigere, idemque Ferdinandum III. Imp. an. 1648. Regi Regnoque Sueciæ quo-

ad VVismariam & alias in Imperio terras specialiter indulsisse. *Instr. Pac. Suec. art.* 10. §. *secundò Imperator, ibi, Possitq; ea munimentis & Præsidiis pro lubitu & exigentia circumstantiarum, suis tamen propriis sumptibus firmare.* Hinc & *in R. I. ann.* 1567. §. **Wiewol wir nun.** specialiter constitutum legimus, **daß zu Gotha und Grimstein** (residentia Ducis Saxoniæ Gothensis) **keine Vestung soll wieder gebauet werden.** Imo nec ipsum Imperatorem citra communem Statuum Consensum fortalitium in terra Imperii nimirum intra Statuum ditiones extruere posse, sancitum esse. *Instr. Pac. Suec. art.* 8. Et quæ sunt alia, quæ suæ competenti decisioni ego relinquo.

Forma Civitatis

Consistit in muris, ita ut his destructis & civitas esse desinat. *l. si ususfructus ff. quib. mod. ususfructus amittat.*

Censet (*clarissimus Dn. Conring. in Republ. Imp. acroam 2. p.* 33. usque

ad

ad seculum nonum nullam trans Danubium & Rhenum urbem Germanos habuisse, tum adhuc vicos & villas habitasse, initiumque Civitatibus fervorem singularis pietatis dedisse, quo & instigante servos emancipatos fuisse, qui primum sub Henrico I. abundanter confluxerint. *p.54 a. acroam.* Videturq; quoad Moraviam consentire *Avent. lib. 4. p. 430. ita ille:* Radislai munimentum inexpugnabile, vi expugnatum. Moraviam & universas ejus cardinis gentes, ratas urbibus, frequentes vicis obumbrat munitque Hercinium nemus. Idque dicit ex ævo Caroli M. Sed in hoc dubiam mihi fidem quoad reliquam Germaniam facit *Avent. l. 4. p. 313.* quod circa tempora Caroli M. Francfordiam caput gentis Francorum & Herbipolim urbem Primariam fuisse memoret. *Idemque auth. p. 403.* tempore Ludov. Pii Imp. Primariam Germaniarum Urbem Moguntiam extitisse, asserat. Item quod *p. 358.* alleget.

Saxones trans Albim ad Sturiam amnem locum Eisovelta nominatum, occupasse Idibus Martii, deinde mœnibus, fossa, vallo celerrimè muniisse.

Cum Imperatoris & Vicariorum Imperii sit, jus Civitatis dare, quæritur an, & Civitatem Imperialem constituere possint.

Certi juris est, municipalem Civitatem suo Domino subtrahi non posse, cum Imperator in præjudicium tertii nihil possit. *l. 1. §. 16. ff. ne quid in loc. publ.* & specialiter *in Capit. Leop. Aug. art. 3.* ubi statuitur, Imperatorē subditos à Dominorū suorum jurisdictione eximere non valere. Sed quid rei? ubi Civitas aliqua certo pacto (prout mediante pecunia fecerunt Augusta, Ulma, Kaufbeura, Eslinga, & Reutlinga, antea urbes municipales) se à Principum suorum ordinaria jurisdictione eximat, an & Imperator illam sine consensu scarani illius, in quo recipitur, recipere

pere possit? Non solum scamni, sed collegialis omnium Statuum Imperii consensum requiri, quis affirmaverit *ex art. 4. Leopold. Capit. ibi*, keinen Reichstand der Session E. & ex contrario, cujus in ratiocinatione una sit identitas, nec recipi Statum sine consensu reliquorum. E. nec Civitatem Imperialem, 2. ex his formalibus *dictæ capit. Leopold. art. 44. ibi*, Niemand aber von den neuerhöheten Fürsten/Grafen und Herren / dem Fürstlichen Collegio, es sey gleich auf selbiger / oder der Grafen Banck ad sessionem & votum wider derosel-ben Willen auffdringen / sie haben sich dann dazu mit Fürstmessigen und Gräflichen Reichs-Gütern vorhero gnungsamb qualificirt, und zu einer Standswürdigen Steuer in einen gewissen Creiß eingelassen und verbunden / und über solches alles neben dem Churfürstlichen Collegio auch das jenige Collegium oder Banck darin sie auffgenommen werden sollen/gnugsamb gehöret worden. Hic

licet civitatum mentio non fiat, tamen cum Civit. Imper. in omnibus cum reliquis Statibus parificentur, in primis quoad consultationes & vota diætarum per *Instrum. Suec. Par. art. 8. ibi, tam in universalibus.* Quidni ergo & in civitatibus liberis? Cui *contrariæ opinionis* patroni respondent, *illud quod specificè* Imperatori vel prohibitum *vel limitatum* non *sit, jure Regio competere,* nec facere ad argumenta contrariæ partis 1. contrariorum ratiocinationem, quæ quidem in Philosophicis, *in jure* verò pro regula recepta non sit. 2. Ultra quod in art. 44. mentio civitatum non fiat, pacificari quidem civitates cum cæteris Statibus in eo, quod votum non solum consultativum sed & decisivum habeant, interim multa esse vestigia, quibus minoris sint authoritatis, quam reliqui Status: 1. in uno conclavi quidem in generali diætarum propositione Legatos Civitatum cum Electoribus, Principibus, Prælatis & Comitibus

tibus sedete, sed intervallo quopiam intercluso. 2. Omnes civitates duo solum habere vota, cū singulis Principibus & Abbatibus Principibus. singula, Comitibus quatuor, Prælatis modicæ tamen potentię, tot quot Civitatibus competant. Nec 3. quoad cæterorum Statuum receptionē videri necessarium Statuum & scamni consensum, quem illa verba, gnugsam gehört werden/nō inferunt.

Quia hic de civitatibus Imperialibus mentio fit, parum illarum distinctionem delibabimus: Et quidem maximis Imperii civitatibus nutrimenta dederunt primum commercia, quæ circa annum millesimum centesimum in Germania primo lucem aspexisse probat *Conring. in Republ. Imper. acroam. 2. p. 546.* Circa quæ tempora & Colossos Rolandinos primum quibusdam Saxoniæ civitatibus traditos fuisse, tradit idem *Dn. Conring. acroam. Imp. 2. p. 49.* Et eadem ætate cōmunis opinio nativitatem Hanseaticarū civitatum ponit.

Aliqui inter municipales & liberas medias ponunt Pactitias Civitates, quas numerant Stralsundam, Hamburgum, Brunsvvigam, Rostochium &c. Sed illa figmenta potius Doctorum, quam traditiones Constitutionum sunt. Pacta quidem & libertates suas relinquo Civitatibus, quas nominant mixtas, sed interea unde particularis illa & diversa denominatio deduci queat, non penetro.

In Instrumento pacis quidem quoad Stralsundam mentio fit libertatis Stralsundensium *art.* 10. *ibi. de cæteris ordinibus*: Item de Civitate Bremensi; it. Libertas memoratur, de Civitate Magdeburgensi; *Pristina sua libertas art.* 10. §. *Civitati verò Magdeburgensi*: Ex vocabulo libertatis Magdeburgum, & Bremam sessionem Comitialem, quam & Hamburgum & Brunsvviga, prætendit: Aliæ libertatem pactitiam allegant, vi cujus melioris conditionis sunt, quam aliæ municipales.

Sed

Sed magis & minus differentiam non facit, & quod Civitas alia majora jura sive ex pacto, sive Privilegio, sive consuetudine à suis Principibus redemerit, adeò titulum municipii non eximit, ultra quod totius controversiæ determinatio à sola homagii præstatione dependeat; Illa subjectionem infert, & proinde ubi illa præstatur, pro superioritate recipientis concludit, nisi homagium aliquod improprium sit, quale singulis annis in Ecclesia Wormatiæ Senatus Episcopo Wormatiensi jurat.

Aggredior differentiam Civitatum Imperialium: Omnes Civitates Imperiales in eo conveniunt: Quod 1. votum decisivum in Comitiis habeant, & quidem alternando ab uno scamno ad aliud, à Rhenano nimirum ad Suevicum. 2. jura superioritatis, regalia, & territorii potestatem in suo exerceant, sicuti reliqui Status. 3. immediatè Imperatorem superiorem agnoscant. 4. Ab

omnibus ad Cameram Imperialem provocari queat. 5. Nullum beneficium de non appellando habeant, quamvis id antiquitus Aquisgranum obtinuisse alii referant: Et adhuc quædam Civitates Imperiales jure de non evocando gaudeant, quod tamen diversissimum est à supra memorato jure. 6. Omnes & singulæ singulis literis ab Imperatore ad Comitia universalia vocentur. 7. Omnes unum Senatum & duo scamna Rhenanum & Suevicum constituant. 8. Omnes suos Legatos cum Mandato cum libera mittant, qui & præsentiam suam Marescallo indicare, & mandatum Moguntinis mittere referuntur à *Knipschild de Civitat. l. 2. c. 2. n. 125.* 9. Omnes simul particulares diætas vulgò Stätt Tag celebrare possint, quas Eslingæ ann. 1522. tenuerunt. 10 Imperii Recessibus subscribant. 11. In Conventibus circularibus compareant. 12. Singulæ suam quotam pro sustentanda Camera Imperiali mittant.

Diffe-

Differunt in his.

1. Non omnes sed aliquæ antiquitus suos habuerunt in Regimento Assessores. 2. Aliquæ Assessores Cameræ præsentant: &c. 3. Aliquæ in Deputatorum conventibus per Legatos comparent: *Ut ex Augustan. Confess. Norinberga, Ratisbona,* & *Argentoratum*, ex Catholica confessione *Colonia, Aquisgranum, Uberlinga.* 4. Aliquæ directorium *Collegii* Civitatum tenent, ut illa Civitas, in qua tenentur Comitia, *vel* recusante illa, hæc quæ per majora Collegii Civitatis optatur. 5. Unicæ Norinbergæ conceditur, ut Secretarium mensæ directorii apponere possit. 6. Duæ solum Civitates archiva *Civitatum* habent, ut scamni *Rhenani archivum Spira, Suevicum Ulma* asservat; *Singula* suos habent Registratores communiter à *Civitatibus* lectos, & *Collegio illi* juratos, quique directorio assident, omniaque notant. 7. Aliquæ

quæ solum jus Austregarum habent: ut Nürnberg/ Regenspurg/ Schweinfurt/Straßburg/ Reutlingen/ Eßlingen/Dünckelspühl. 8. Aliquæ tantum Deputatos suos ad visitationem Cameræ mittunt, juxta præscriptum *R. Imp. ann.* 1654. *in fin.* 9. Aliquæ tantum Deputatos vulgò den Außschuß constituunt, numero duodecim, quæ quales sint, vide *Knipschild de Civitatibus l. 2. c. 11. n.* 14. 10. Aliquæ sunt die Außschreibende: ut Straßburg/ Nürnberg/ Franckfurt/ & Ulm: quod officium demum ann. 1523. perpetuum factum est, cum anteà temporarium esset. 11. Aliquæ sunt die Legstett/ ubi collecta Imperialis deponitur, ut Franckfurt/Nürnberg Ratisbona, Augusta & Lipsia. *R. I. Aug. ann.* 1566. §. Wiewohl nun Churfursten. 12. Differunt inter se ratione Privilegiorum, de quibus vide *Knipschild de Civitatib. lib. 3. per tot.* 13. Differunt etiam ratione summæ appellabilis, de qua vide *Rodingium in novissimis Pandectis*

tis Cameralibus tit. 20. c. 6. & mein Iurisprud. publ. p. 320.

Quæ sint civitates Imperiales, quoq; se invicem sequantur ordine.

Notandum primò à directore Collegii Civitates interrogari alternativè, primò à scamno Rhenano, posteà ad Suevicum, eo ordine, tam in voto, quam in processione, uti infra videbis; Director ultimo suum adjicit, vota colligit, in scripturam refert, & cum quibusdam adjunctis Collegio Electorali refert.

Scamnorum origo unde venerit, vide *apud Lehemann. Chron. Spirens. lib. 7. c. 124. §.* Von der Frey- und der Reichs-Städte Raht *p. (m) 1016.* Eo autem ordine sedent, & votum dicunt alternative.

Rei-

Reinische Banck.

Cölln.
Aach / cum solita protestatione contra Cölln.
Straßburg.
Lübeck } alterniren.
Wormbs }
Speyr.
Franckfurt.
Hagenau.
Collmar.
Schlettstadt.
Goßlar.
Bremen / cujus immedietati contradicit Rex Sueciæ V. rationes apud *Limn. tom. 4. l. 7. c. 7.*
Mühlhausen.
Nordhausen.
Weissenburg am Rhein.
Landau.
Ober Ehenheim.

Kay-

Schwäbische Banck.

Regenspurg.
Augspurg.
Nürnberg.
Ulm.
Eßlingen.
Reutlingen.
Nördlingen.
Rotenburg an der Tauber.
Schwäbisch Hall.
Rothweil.
Uberlingen.
Hailbronn.
Schwäbisch Gemünde.
Memmingen.
Lindau.
Dünckelspühl.
Biberach.
Ravenspurg.
Schweinfurth.
Kempten.
Weinsheim.
Kauffbeuren.

Weil.

Reinische Bänck.

Keysersberg.
Münster in S. Gregorien-Thal.
Roßheim.
Türckheim.
Dortmund.
Friedberg.
Wetzlar.
Gelnhausen.
Hervordt { Contradicit El. Brandeb.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0344
DFG

Schwäbische Banck.

Weil.
Wangen.
Isny.
Pfullendorff.
Offenburg.
Leutkirchen.
Wimpffen.
Weisenburg am Nordgau.
Giengenbach.
Zell.
Buchhorn.
Aalen.
Buchau am Federsee.
Bopfingen.

Penes

Penes quos fuerit antiquitus Regimen civitatis.

Initio in Germaniæ vicis ex parte penes Nobiles, partim penes plebem ingenuum arbitrium Reipublicæ fuisse ex Tacito *de morib. Germanor.* probat *Conring. acroam. Reipubl. 2. p. 39.*

Sub Francorum Imperio Civitates Scabinos à Regibus acceperunt, ita tamen ut plebs septem Scabinos daret, quorum eligendorum potestas penes Legatos Regios & populum simul resedit, prout ex *Ansegisi capit. sub Carolo M. & Ludovico Pio l. 3. c. 3.* elucet. Et imperium Consulum longè ante tempora Henrici V. originem habuisse, docet *Conring. acroam. Reipubl. Imp. 2. p. 51.*

Hodie Regimen Civitatum penes Burgemaistrum & Senatores, directorium justitiæ penes Scultetum, exercitium judicii penes Scabinos vulgariter residet. In quibusdamque civitatibus Aristocratia, in qui-

quibusdam Democratia viget. Aristocratia quidem in paucis, Democratia in majore urbiũ Imperialium parte usu recepta. Democraticum statum hic nomino, ubi ad Regimen civitatis & cives & tribus admittuntur. Aristocraticum verò hîc intelligo, ubi Patritii solum exclusis reliquis asciscuntur. Intercurrit in quibusdam *status mixtus* 1. ex Patritiis, Civibus, & Tribubus. 2. Ex Nobilibus, & Tribubus 3. Ex Nobilibus, & Civibus. 4. Ex Patritiis & Civibus. 5 Ex solis Tribubus. 6. Ex Patritiis & Tribubus, ita ut Tribus arceantur à Prætura, Consulatu, & Scabinatu. 7. Ex Patritiis, Doctoribus & Mercatoribus.

Purum Aristocraticum in Germania non invenio, eo intellectu, quod soli Patritii regant. Civitates autem Imperiales, in quibus Patritii vivunt, sunt Norinberga, Augusta, Ulma, Francofurtum, Lubeca, Weisenburgum Wasgoviæ, Lindavia, Halla Sueviæ. Et si Civitates con-

controversæ libertatis adjecerit. Brema & Brunsvviga, suos habet. Inter Municipales Luneburgum & Halla Saxonum præcipuos cives quos Saltz-Junckern nominant, alit.

Norinbergæ distinguuntur in Rahtesfähige & Unrahtesfähige Patricios, Augustæ in Seniores & Juniores, Hallæ Suevorum in ältere und mittlere Geschlechter / Ulmæ, Francofurti, Lubecæ, Wisenburgi Walgoviæ, Lindaviæ nullo inter distinguuntur nomine: Ulmenses Geschlechter appellantur: Superadduntur Francofurtani titulum à Domo ubi conveniunt, der Limburgischen Gesellschafft / Lubecenses denominationé der Circul Compani Wisenburgenses der Haußgenossen Lindavienses à domo conventus der Stuter habent.

Si in ulla civitate Imperiali magna est, & quidem absoluta Patriciorum potestas, hoc Norinbergensibus obtigit; Illi Senatum majorem con-

constituunt ex illis, quos CAPACES vocant, nec Jurisperito, nec Doctori dignitas Senatoria licet Patritio hîc contingit; Purus Patritiatus & quidem capaciorum familiarum requiritur: Sed tamen & Patritiorum numero ex plebe octo in Senatu adjunguntur, ut numerus Patritiorum & Plebejorum ad quadraginta duas personas excrescat. Sed quod augustum illum Patritiorum ordinem solatur, est, quod Plebeji Senatores à Tredecemviratu, Scabinatu, Consulatu, Quinqueviratu, Prætura suburbana, Quæstura ærarii, & sic principalioribus excludantur officiis.

Ne autem totam rei summam ad se traxisse videantur, ducentos viros, ubi quid ardui emergit, ex omni populo quotannis nominant, eodem ferè exemplo, quo tales etiam Genevæ, Bernæ, & alibi in Helvetia totum populum repræsentant, & jus belli & pacis sibi reservant.

Augustanus Senatus habet ex Patriciis triginta & unum, ex reliquis civibus, quos distinguunt in die ehrbare Gesellschafft / in mercatores & die Gemeinde / quatuordecim, quibus tamen ad Consilium Septemvirale aditus præclusus est.

Ulmæ Regimen partim ex Plebejis constat, ita ut his Duumviratus, Consulatus, & Præfecturæ Provincialis officia non competant.

Francofurti pro tertia ex Patritiis, pro tertia ex civib⁹ honoratioribus vulgò societate des Frauenſteins, pro tertia ex tribubus Senatus constat: primi duo omnium officiorum capaces sunt. Ultimi à Prætura, Consulatu & Scabinatu arcentur.

Lubecensis Senatus coaluit ex Patritiis, Doctoribus, Mercatoribus, exclusis mercatoribus minoris sortis, braxatoribus opificiariis, & civitatis beneficiariis, & feudatariis.

Weisenburgum Wasgoviæ regitur ab octo Patritiis, & quatuordecim Tribunis.

Lin-

Lindaviam partim Patritii, partim ex Tribu electi gubernant, qui posteriores tamen à Consulatu, & Prætura excluduntur.

Hallam Sueviæ Senatores ex Patriciis senioribus septem, ex mediis Patritiis totidem, ex civibus duodecim regunt.

Nulla ergò *Civitas* Germaniæ Imperialis, quæ pure regitur à Patritiis, adeoque eo sensu nulla est pura *Aristocratia*.

In quibusdam Civitatibus Nobiles cum Tribubus regunt, idq; in unica Civitate Argentoratensi, ubi ex tertia parte Nobiles in Senatum, & ex his sex Præfecti deliguntur, quibus tamen minor, quam Ammeistero & Tribubus, quarum viginti sunt, ex quibus Senatores eliguntur, est potestas.

In Civitate Fridberga sex ex Ganerbinatu Nobili assiti Castri in Senatum cum civibus loci cooptantur.

Alibi purè Tribus regunt, ut Coloniæ, & Spiræ.

An Civem civitatis & Nobilem esse, sint contraria.

Audi de hac re *Aventinum annal. Boj. l. 6. p. 639.* Ita ille: Erat tum Reginoburgum (sub Friderico I. Imp.) omnium civitatum Germaniæ populosissima civitas, Prætoriumque Regulorum Bojariæ, nam & Proceres quosque potentissimos Bojariæ, ibidem Cives, Senatores & Consules fuisse, sicut Argentorati & adhuc apud Suitonas esse solet. Ita Aventinus; Et quidni, cum jus civitatis non magis Nobilitati, quam Landsassiatus deroget, nisi quod aerem clausum libertati ruris postponas. Sic Wilhelmum Imperatorem Ultrajecti civem fuisse, memorat *Lehemannus in Chron. Spirens.* Nunquid adhuc hodie Abbatissa Lindavienſis Lindaviæ civis est? Nunquid Abbas S. Galli jus civitatis in Tiguro, Lucerna, Glaris, & Suitio obtinet, & Tiguro juramentum civitatis præstat? Quare igitur ci-

civem civitatis esse Nobilis conditionem transcendit? Sic Nobiles in agro Civitatis Aquisgranensis habitant, quem Imperium appellant, sed illi immediatè Imperio subsunt, adeoque illud exemplum huc non quadrat; sed melius id, quod sub Rotenburgi ad Tubarim jurisdictione plures Nobiles domicilium foveant. Quis neget Patritios Norinbergenses, qui ex diplomate Henrici Aucupis sunt Thurnirfähig/ veros Nobiles esse, qui ultra quod privilegio Nobilitatis coruscent, plures ex illis raro civium exemplo feuda immediata Imperii, etiam in aliis territoriis possident. Vidi in atrio arcis Herbipolensis Patriciorum Norinbergensium insignia, ubi tamen non nisi Electorum, Principum, & Nobilium feudatariorum arma conspiciuntur. Annon hinc multum ante alios prærogativæ?

Et quid dedecori erit Nobilibus Imperio Civitatum subesse, cum & in civico Senatu, uti Augustæ,

nobilissima sint officia, qualia gerit Stättmeister / regulariter Consiliarius Imperatoris; & primus Syndicus vulgò nominatus Cancellarius. Imò & aliquando titulum Edele/ civitates per se ducunt, uti Colonia, quæ appellatur die edele Stadt/ *Limn. tom. 3. lib. 7. cap. 10. n. 10.* Ut & inter civitates reperiuntur, quæ nec Magnatibus potentiâ cedunt.

Norinberga à Burggravio Friderico Brandeburgensi pretio ducentorum quadraginta mille florenorum emit, die Burg/ die Wag/ das Schultheissen-Ampt / zwey Wäld/ vier Dörffer mit zwey Mühlen: Nihilq; ex Burggraviatu sibi reservavit Princeps ille, quam den Titul Geistlicher und Weltlicher Lehen/ das Land-Gericht/ das Burggrafthumb/ die Wildbahn / und Geleit ausser der Stadt. *Limn. de Iur. publ. tom. 1. l. 4. c. 4. n. 83.* Ultra quod à Rege Bohemiæ feudi titulo recognoscat, Hersprugk / Lauff und Velden: it. ar-

arces Hohestein & Hauneck. *Zeiler. in Itiner. German. c. 4. p. 509.* Cui accedunt Altorff & Lichtenau. Prætenduntque ex antiquo possessionis jure Electores Palatini in Altorff/ Herspruck & Lauff / quæ tempore belli Bavarici, ex testamento Ducis Georgii Boji, quo genero suo Ruperto Comiti Palatino totam Bavariam legaverat, sub Maximiliano I. Imp. orti, Norinbergæ civitati oppignorabantur: *Plures hac de re rationes pro & contra ductas vide apud Limn. Iur. publ. tom. 4. l. 7. c. 35. n. 18.*

Dortmunda civitas Imperialis Comitatum Dortmundanum cum omni jure in feudum Imperii tenet. *Limn. in Iur. publ. tom. 4. l. 7. post c. 14. verb. Dortmund. fol. 223.*

Ulma Comitatum Helfensteinii & Albecci à Comitibus Werdenbergensibus, Leiphemium verò à Nobilibus de Riedthaim titulo emptionis sibi paravit. *Knipschild de civitat. lib. 3. cap. 54. n. 17. & 18.*

Cumq; igitur aliquæ civitates integros Comitatus possideant, quare nobilitati derogaretur, in Comitatu habitare? Quare magis in civitate, quàm in vico? Parisiis tempore hyemis maxima Procerum caterva habitat. Neapoli multi Titulati degunt. Florentiæ non exigua Nobilitas suum domicilium habet. Sed inquies: Tales licet in civitatibus habitent, urbico tamen Senatui non subsunt, prout particulariter Titulati Neapoli Sedibus vulgo Seggi non subjecti sunt. Confitemur id quidem, sed interea loco civici Magistratus alium habent. Nec auget, nec minuit subditi qualitatem, cui jurisdictioni quis pareat; Utque scias, in memoratis civitatibus, sicut specialiter Neapoli, civici Magistratus imperio Nobiles non eximi, & in primis Parisiis ex antiquo Regum Galliæ munere omnes cives conditionem Nobilis obire.

Sed

Sed quid de Nobile immediato; De hujus dubitaverim nobilitate, cum in civicũ homagium conceſſit. Hoc enim ſecum fert ſubjectionem, Nobilis autẽ immediatus cum civitati ſubeſt, immediatè Imp. ſubeſſe non dicitur, licet bona ſalva immedietate in civitate poſſidere queat, bona enim ſubditum non faciunt, ut & feuda à civitate habere poteſt, utpote quæ ſolam fidelitatem, non autem ſubjectionem important.

An in civitatibus Imperialibus totam univerſitatem repræſentet Senatus ſolum, vel & cum Senatu cives.

Poſteriori forſan quis aſtipulabitur, motus his rationibus 1. quod Imperatores in antiquis privilegiis, quę Civitatibus conceſſerunt, nõ ſolum Senatus, ſed & civium mentionem fecerint. 2. quod in quibuſdam Civitatibus rationes Cameræ ſive redituum quotannis dẽtur Deputatis ex civibus, uti in dem Bürger-Abſchied zu Franckfurt / ſo von Jhro Majeſt.

confirmirt / de anno 1613. §. Zum
acht und zwantzigsten sollen nach
nunmehr ersetztem Raht: Rationes
autem reddi vel socio, vel superiori,
vel pupillo: Posteriori locum hic
non esse: E. prius relinqui. 3. quod
in potentioribus civitatibus, uti
Norinbergæ ducenti populum ex
populo lecti repræsentent. Sed ar-
ridet magis *Knipschildii* sententia
lib. civit. 2. c. 11. n. 116. & 117. quæ
omnem potestatem populum in Se-
natum in civitatibus Imperialibus
transtulisse probat, ex *Gylmanno*
Symphorem. tom. 1. part. 3. tit. 2. de re-
convent. supplic. l. vot. 1. n. 3. &
in. 3. de relig. vot. 9. n. 5. & 6.
Hinc & cives homagium Consuli
præstant, non nomine civium, sed
solum Consulis & Senatus. Et supe-
riora facile dilui possunt: 1. talem
quidem formulam Imperatores in
quibusdam usque ad Friderici IV.
tempora usurparunt, post quæ tem-
pora civium mentio omissa legitur

2. pa-

2. pactum id est, quod ultra pacti mentem nihil concludit, sive ad societatem sive ad superioritatem, sed potius eò tendit, quod videre debeant cives, Cameram redituum justè administrari. Nec 3. ex unico exemplo ad reliquas civitates, minus adhuc ex illo conventu ducentorum, qui ad Senatus beneplacitum convocatur, ad civium seu superioritatem seu societatem arguitur, cum ejusdem toni sit, quasi ita argumentari velis: Imperator Status ad diætam convocat E. hi cum illo æqualem potestatem habent. Absurdum unius inconvenientiam alterius monsttrat.

A qua ætate procedant privilegia Civitatum.

Ætatem Friderici II. Imperat. non anteeunt, & si quæ sunt, dubiam tamen fidem habent. Et Richardus Rex Angliæ Imperat. Romanor. & Wilhelmus Comes Hollandiæ Imp. plura Civitatibus privilegia

concesserunt, quem tamen multi in Imperatorum catalogo nō ponunt, sed illud tempus, quo Conradus Dux Sueviæ, Richardus Angliæ, Alphonsus Arragoniæ, Wilhelmus Hollandiæ Imperii suffragia meruerant, interregnum ponunt, & hinc est, quod tale interregnum multi ad sedecim, alii ad viginti duos, alii ad viginti quinque annos computent. Manant autem plurima privilegia à Carolo IV. & Sigismundo, qui munifici in civitates erant: Nec Wenceslaus in illis parcus erat, cujus tamen privilegia ob amissum ex depositione Imperium cassata & nullius valoris esse Minsingerus censet: Sic & Adolphi Nassovici privilegia caderent, quem ob paupertatem exautoratum quidam historiographi fabulantur. Sed illa adeò crudè accipi non debent: Aut enim ante sententiam depositionis, aut pòst dedit: si pòst, clara res est; si antè, tunc vel ante vel post litis contestationem; si pòst, cum litis con-

contestatio malam fidem inducat, ut & multo magis, ubi sententia condemnationis adest, meritò & illa privilegia tanquam à malæ fidei possessore data cadunt, in primis cum & ille, quem ut suspectum curatorem vel tutorem accusas, tam diu ab administratione rerum abstinere debeat, donec causa finiatur. *l. eum quem. C. de suspect. tutor.* Quod privilegia attinet, & multæ civitates majora quam vel alii Status habent. Ut bannitos recipere, quod Ulmæ, Memmingæ & Argentorato competit, ut & Reutlinga lapsis in homicidium ex calore iracundiæ asylum præbet. Multa etiam inutilia habent, ut tubicines tempore belli & pacis alere, prout Augusta Vindelicorum id jus ex singulari Imperatorum concessione obtinuit, quæ & Bremensibus pari utilitate licentiam attribuit statuam Rolandinam armis Imperialibus ornandi: Sed minus fructifera hæc sunt.

An Civitates Imperiales inter membra Imperii immediata ultimam conditionem obeant.

Facilè negativè respondetur, cum & Pagi immediati sint, *Instrum. Pac. Suec. artic. 5. §. terminus à quo, ibi, pagis immediatis*; Uti est pagus Meglin/ ad Argen situs, qui antehac sub protectione civitatis Ilni, & hodiè sub Sereniſſimæ Domus Austriæ patrocinio vivit. *Zeiler. Topograph. Suev. pag. 44. Chron. Suev. pag. 302.*

Tales pagi ratione collectæ Imperialis melioris conditionis sunt, quam alii Imperii Status; Nihil enim contribuunt, quamvis reipsa inspecta sæpius tantum, & plus Protectori suo, quam vel civitas territorii Domino, solvant. Et in Helvetia pagus melioris adhuc conditionis nomine Gerisſau ad lacum der Waldstätt/ & nulli Cantoni subjectus est, & liberam constituit Remp. In Anglia pagus est nomine

Vice-

Wanfred versus *Huntington* situs immediatè à Rege dependens, cujus singuli rustici nihil quam Regi transeunti par equorum cum vehiculo pendunt. Parique in Hispania gaudet privilegio non pagus quidem, sed civitas, raro tamen Hispaniæ civitatum exemplo, dicta *Antequera* à gabellis, quas Alcavale appellant, & aliis impositionibus immunis: Nullius etiam Hispaniarum Regni membrum est, licet ratione situs Granatensis regni civitas sit.

An à Civitate Hanseatica argumentum duci possit ad Civitatem Imperialem.

Videtur illa illatio approbari *R. I. anno* 1548. §. Und als erstlich/ *ibi*, wiewol nun solcher Artickul allein auff die See- und Hansee-Städt/ die solcher Hülff haben / weder dem Reich noch andern Chur-Fürsten/ Fürsten oder Herrn unterworffen seyn wollen: Sed quod Hanseaticæ distinguuntur in liberas & provinciales, con-

concluditur ex R. I. anno 1576. §. Wir wollen auch zu mehrer. R. I. anno 1566. §. Die Hein und Ste Städt betreffend.

Dicunturq; Hanseaticæ civitates liberæ à Collectis Imperii, quod cum hac modificatione intelligi debet; Quod si sint Civitates Imperiales, qua tales quotam suam Imperio & Imperatori pendunt; Quatenus verò provinciales sunt, Cameræ Principis sui contribuunt, & quando extraordinariè rogantur, tunc duplici gravantur onere, solvunt enim cassæ Imperii, & Cassæ territorii. Distinguuntur Hanseaticæ in quatuor classes 1. in Lubecensem 2. in Colonienſem 3. in Brunſvvicenſem 4. in Dantiſcanam. Habentque illæ emporia quatuor, ubi commercia exercent. 1. Londini 2. Antverpiæ, antea Brugis 3. Revaliæ & Narvæ, anteà Novogardiæ in Ruſſia. 4. Bergis in Norvvegia, ubi maxima commercia conſiſtunt in aſellis: Habentque ibi cer-

certam societatem, in quam qui coöptari cupit, subtus navigio per mare aliquoties trahi, & deinde in corbe ad fumigationem suspendi debet, appellantque Garbenspiel / ad formam depositionis Academicæ in Germania usitatæ, sed plures illo ludo fumario interierunt, in principio probationis suæ, hodieque illud ludicrum abrogatum esse percepi. Civitates Hanseaticæ fœdus suum ex communi opinione anno 1200. regnante Friderico II. Imp. orsæ, ad mutuam defensionem, & commerciorum promotionem. Distinguuntur in civitates liberas Statuũ confœderatorum, Civitates Regnorum exterorum, Civitates liberas Imperiales, & Civitates provinciales. Suntque in universum, *testante Dn. Hagenio in Iurisprudentia publica l. 1. c. 4. n. 18.* sexaginta sex.

Civitates liberæ Statuum confœderatorum, dividuntur in Geldricas, Frisiæ & Transisulanæ.

Geldricæ sunt, Noviomagum,

Zut-

Zutphania, Ruremunda, Arnhemium, Venloa, Elburgum, Hardevvicum.

Frisicæ sunt, Groninga, Bolsvverda, Stavera.

Transisulanicæ sunt, Daventria, Camp & Suolla.

Civitates exterorum Regnorum & Provinciarum sunt: Sueciæ, Borussiæ & Daniæ.

Sueciæ: ut in Livonia, Riga, Derpta, Revalia.

Borussiæ: Dantiscum, Regiomontum, Colmaria, Elbinga, Torunia, Brunsberga.

Daniæ: Ut in Norvvegia una & quidem regni hujus capitalis, Berganimirum.

Civitates Imperiales sunt vel absolutè Imperiales, vel controversæ libertatis. Absolutè Imperiales sunt, Lubeca & Colonia. Controversæ libertatis sunt, Hamburgum, Hervorda, Brema, Brunsvviga, Magdeburgum. Provinciales sunt vel Vandalicæ: ut Rostochium, Stralsunda, Wisma-

Wismaria: Vel Pomeranicæ: ut Stetinum, Anclamum, Golnava, Griphsvvaldum, Colberga, Stargarda, Stolpa, Rugenvvalda. Vel Saxonicæ: ut Goslaria, Embeca, Hildesheimium, Gottinga, Hannovera, Ulsa, Buxdehuda, Luneburgum, Stada, Hamelia, Minda. Vel Westphalicæ, ut Monasterium, Osnabruga, Tremonia, Susatum, Hervordia, Paderborna, Lemgovia, Bilefelda, Lippa, Coosfeldia. Clevicæ Marchiæ sunt: Vesalia, Duisburgum, Unna, Hamma.

Civitates hæ Hanseaticæ diriguntur & convocantur à Lubeca, ubi & principale illarum Archivum est, alterum asservatur Coloniæ. Commercia sua ut plurimum in mari Baltico habent, cujus maris dominium Sueciæ Regnū ex antiquo pacto cum Maximiliano I. Imp. concluso sibi vindicat. Miserunt aliquoties Legatos ad exteros Reges, sed illos *testante Thuano in historia* ob incapacitatem mittentis, & defectum

fectum supremæ Majestatis Jacobus M. Britanniæ Rex audire recusavit. Quod autem Hanseaticum fœdus attinet, illud, quod licitum & à Cæsaribus approbatum sit, plurimi ex Recessibus Imperii, ubi collectæ Imperii imponuntur, deducunt, eo quod in illis mentio fiat der Hanseat. Städt. Sed quod citra præjudicium illius fœderis observabis, mentio quidem fit der Hanseat. Städt/sed non deß Bunds: Nomen Hanseaticarum civitatum non infert fœdus Hanseaticum: De Origine multi hallucinantur. An fœdus licitum sit, distinctione discutitur. Civitates exterorum Regnorum citra consensum suorum Regum nulla fœdera coeunt, cum hoc nullibi subditis liceat, *l. 3. C. de sum. trinit. l. 1. & 2. C de seditios. l. denuntiamus. C. de his qui ad Ecclesiam l. fin. ff. de collat. Constit. Frideric. de pac. tenend. inter subdit. §. Conventicula 2. feud. 53. & ubi Feudist*: quod jus Romanum etiam aliorum Regnorum, monstrante

exper-

experientia rerum magistra, consuetudines approbant. Quod autem civitates Statuum Consœderatorum concernit, illæ *ex art.* 10. *fœderis Vltrajectini* sine superiorum consensu, nec superiores, utpote provinciæ, ullam ligam aut unionem sine omnium fœderatorum consensu inire queunt. *Stat. confœder. Provinc. c.* 1. *p.* 7. Civitates Imperii Imperiales possunt fœdera contrahere, modò non sint contra Imperatorem & Imperium: Quod licet Statibus Imperii *in Instrument. pac. Suec. art.* 8. *ibi, cum primis verò, ad conservationem nimirum & securitatem*: quæ formalia excludunt offensionem: Hoc jus an Status citra expressum consensum haberent, ante Instrum. pac. anxiè disquirebatur, sed illo decisum est pro affirmativa, quod imposterum competat: num verò illa nova sit concessio, vel antiquæ consuetudinis confirmatio, nondum quæstio esse desiit. Antehac Principibus Imperii non competiisse forsan ex his

quis

quis deduceret: 1. *in A. B. Carol. IV.* c. 15. omnes confœderationes quorumcunque subditorum improbari. 2. sanciri *Reformatione Friderici IV. Imp. ann.* 1441. *art.* 12. Daß im gantzen Römischen Reich keine Bündnuß soll auffgericht werden/ *Gold. in* Reichs-Satzungen/ *fol.* 197. 3. Eam prohibitionem *Declaratione Sigismundi anno* 1431. *c.* 7. von Verbündnüssen repeti. *Knipschild de Civit. l.* 2. *c.* 23. *n.* 24. 4. Idemque fieri, *Capitulatione Ferdinandi II. Imp. art.* 5. *Ferd. III. Imp. art.* 6. *ibi*, Wir sollen und wollen auch. 5. & jam im Käyserl. Landfriede *anno* 1548 interdictum fœderum haberi. 6. Status melioris conditionis non esse, quam Imperatorem, cui id citra consensum Comitialem non licet. *Instr. Pac. Suec. art.* 8. §. *gaudeant:* Idque *in Capitulat. Ferd. III. Imp. art.* 7. non omnium Statuum, sed solum Electorum requirebat assensum. 7. Inprimis cum exteris Principibus specialiter interdici in *Maximiliani I.*

Hand-

Handhabung deß Landfriedens/ *anno* 1495. *tit.* Die Königl. May. sol kein Krieg.

Sed exempla consuetudinē monstrant. *Bod. de Rep. l.* 1. *c.* 9. Principes Germaniæ cum Galliæ Regib. quadraginta septem fœdera contraxisse testatur: Sed an inconsulto vel consulto Imperatore, non addit. Res clarius deducitur ex sequentib. exemplis, *ultra quod* post mortem Friderici *II. Imp.* tempore interregni Rex Bohemiæ cum Henrico Bavaro fœdus pepigit. *Avent. lib.* 7 *annal. p.* 707. I. Smalcaldici fœderis tempore Caroli V. inter aliquot Principes & Civitates contracti an. 1530. posteà anno 1536. renovati, ad decennium, pro defendenda religione Protestantium, cuique destinabant socii fœderis Henr. VIII. Regem Angliæ Patronum: Eadem Caroli V. ætate Mauritius El. Saxoniæ cum Henrico *II.* Rege Galliæ, & una cum hoc Albertus Marchio Brandeburgensis fœdus pepigit. Cōtra fœd⁹

Smal-

Smalcaldicum erigebant Catholici ligam, cujus primarius fœderatus erat Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinensis, stemmate Brandeburgensis Marchio. Sic & unio Protestantium Halæ Suevorum ann. 1610. arctius confirmabatur; Sic & scitum est Electores inter se ab omni antiquitate duas uniones habuisse, unam generalem, alteram Rhenanam, ita ab Electoribus regionis hujus denominatam.

Contra hæc forsan quis ex contraria sententia regeret, exempla memorata nunquam à Cæsare approbata fuisse, adeoque nec jus induxisse: De Electoribus diversi quid statui, quib. hocante alios Principes, in prærogativam, sicut multa alia jura, Imperatoriam benignitatem indulsisse.

Dubia verò memorata taliter discuti possunt: 1. textum A.B. declarari ex eod. c. §. iliis confœderationibus, ibi, super generali pace: nimirum pro securitate propria, itaque 2. §. &

& 5. objectionem intelligi: 6. Diversum esse in Imperatore, cujus fœdera, cum & offensiva esse possunt, majorem cautelam requirere: & 7. Maximiliani I. Imp. Constitutionem de conspirationibus & rebellionibus, non de fœderibus securitatis loqui.

Sed quid de Civitatibus dicemus, an & illæ antiquitus fœdera defensionis mutuæ contraxerint: Affirmativam sequentia suadent, 1. *A. B. Carol. IV. cap. 15. ibi: Quas Principes & Civitates* 2. aliquot exempla: Anno 1254. sexaginta Civitates contra rapinas, & injusta vectigalia cum Principe Ludovico Comite Palatino Rheni contraxerunt. *Lehmannus in Chron. Spir. l. 5. c. 92. per tot. Conring. acroam. Imp. Reip. p. 57.* hic tamen ex anno 1254. facit annum 1255. & solum contra prædones fœdus id erectum fuisse, ponit: Quod ob quam causam factum sit, *Abbas Stadens. in fin. Chron. & Avent. in annal. lib. 7. p. 696.* declarat.

Anno 1313. post fata Henrici VII. ad purganda latrocinia Civitates ad Rhenum cum Rudolpho Palatino, & Ludovico Bavaro ligam perfecerunt: Et an. 1325. Argentina, Wormatia, Spira & Moguntia ad utilitatem commerciorum in societatem coierunt. *Mutius lib. rer. Germ.* 24. Anno 1332. Moguntia, Wormatia, Oppenhemium pro restituta à Ludovico Bavaro pace conservanda unionem concluserunt. *Lehemann. Chron. lib.* 7. *c* 31. Anno 1374. Sueviæ Civitates referente Nauclero, contra Eberhardum Comitem Wittenbergicum & ann. 1427. contra Alsatiæ Equites Argentina, Basilæa, Friburgum, Colmaria, Selestadium, *ex recitatione* Herzogs in der Elsasischen Chron. *lib.* 2. Societatem contraxerunt. Imò & Civitates cum ipsis Regibus Romanorum fœdera pepigerunt. Ut anno 1297. Adolphus Nassovicus cum VVormatia & Spira: Anno 1400. Rupertus Pal. Imp cum Electo-

Electoribus Ecclesiasticis & Francofurto ad Mœnum ligam iniit. *Lehemann. Chron. Spir. l. 5. c. 123. Privileg. Francfurt. p. 150.*

Hæc de jure cudendi fœdus quoad Civitates Imperiales, quid verò de Provincialibus? Reperitur supra circ. ann 1325. Moguntiæ, circa ann. 1332. Oppenheimium; nisi dicere velis, illas tum adhuc Imperiales extitisse. Ex *Capit. Leop. Aug.* res clara est, ubi omnibus mediatis Civitatibus, etiam sub prætextu fœderis Hanseatici, fœdera, protectionem, & mediationem exterorum assumere non licet. *Capit. Leop. art. 9.* hæcque constitutio hîc prima reperitur. *Limn. lib. 1. tom. 5. c. 12. ad art. 9. d. capit.* Dico EXTERORUM, quod vocabulum benè notandum.

An & Civitates Imperiales ad investituram obligentur.

Loco investituræ petunt privilegiorum confirmationem, cum solutione taxæ, præstantque Imperatori

seu ejus Commissariis homagium: Et non solum id Magistratus, sed & cives præstant. Unicum Argentoratum ab Ottone III. usque ad nostra tempora tale juramentum non præstitit, seque longi temporis præscriptione tuetur, an verò jure vel injuria, non est hujus loci.

An ubi civitas privilegium à Cæsare habet, quod nec sine extranei cujuscunq; conditionis bona nec titulo allodiali nec feudali transferri valeant, Imperator quis sua bona in feudum dare, & rursus ab illo lege Vasallitica accipere valeat.

Memini hanc quæstionem sequentibus rationibus ventilatam: A parte Cæsaris: Privilegium non esse abdicationem sui juris, sed potius concessionem cumulativam, nisi privatio ex litera probari possit. Civitates regerebant: se concedere dicta, nec decere, quod Civitas refragetur suo capiti, sed & hæc conside-

derari

derari posse, quod jure antiquo talia privilegia plerumque clausulam in se contineant, benemeritorum, quę clausula facit titulum onerosum. *Carol. Tap. de Constit. princ. c. 9. n. 6.* illa autem quæ titulo oneroso translata sunt, potius habere vim contractus, quam privilegii. Contractus verò natura talis sit, ut largiens, id quod largitur, retinere nequeat.

Quæ Civitates jus nundinarum habeant.

Non solum aliquæ Civitates Imperiales ut Francofurtum, Argentoratum, & Heilbrunna ex beneficio Cæsarum jus nundinarum habent *Knipschild de Civit. l. 3. in dd. Civit.* Sed & municipales tales habent, ut Naumburgum & Lipsia. Nundinas dare solius Principis est, *l. un. C. de nundin.* idque etiam Vicarios posse extra dubium est, cum id Vicariis liceat, quod non expressè prohibetur: Et surrogatum in locum Imperatoris, sapiat naturam sui surrogari. Solet autem tale jus non nisi

auditis vicinis Civitatibus dari: *Gail. l. observ. 69. n. 24. & 25.* Et differt à mercatibus hebdomalibus, quod hos dare annexum territorialis superioritatis sit, nundinas verò instituere soli summæ potestati competat. *Bald. in l. un. C. de nundin. & ibi Sichard. in rubric. n. 2. & 3.* distat etiam ratione privilegiorum. Sic. in nundinis nemo tributo seu vectigali onerari *l. un. & ibi d. Sichard. C. de nundin. 2.* Nullus molestari, seu ob debitum ante nundinas contractũ arrestari potest. *l. alleg. un.* nisi speciali arrestandi privilegio nundinas habentes provisi sint, ut Francofurtani ex Privilegio Friderici III. Imp. 3. Illi qui vadunt ad nundinas sunt sub speciali Imperiali & Imperii conductu & protectione; ut & 4. Banniti libere in nundinis versari queunt. Quæ duo posteriora specialiter privilegio nundinarum Francofurtensium inseruntur. 5. Illo jure donati pecuniam forensem exigere

possunt

possunt: vulgò Marck-Geld / Stand-Geld / Bodenzinß von den Krämen und Buden / quod tamen & sæpius vi mercatus trahitur, monstrante experientia.

Quid pro libertate commerciorum in nundinis Norinbergenses & Francofurtani tribuant Argentoratensibus. Vide *Limnæum Iur. publ. tom. 4. l. 7. c. 3. n. 3.* & quale sit Francofurti das Pfeiffer-Gericht / consule *me in Iurispr. public. vocab. Francfurt.*

Sunt & in aliis regnis celebratæ nundinæ: In Hispania Medinæ del-Rio seco, & Medinæ del campo; in Gallia, Parisiis in burgo S. Germani, & Linguadocæ in Beaucaire: In Italia Placentinæ, & Vercellenses, In Hungaria Eperienses: In Polonia Jaroslavienses, in Russia Moscuariæ: Et apud Septentrionales antiquitus sæpius in glacie habuisse nundinas testatur *Olaus in Descript. Regni Sueciæ.*

Cap. XXVI.

De Insignibus.

ETiam privatis insignia dari posse à Comitibus Sacri Palatii, plusquam notum est; hinc & minus de Vicariorum potestate circa hæc dubitandum, cum quod minoribus licet, quare maximis non competat. Sed ad majora h. e. Magnatum insignia illorum Comitum potestas se non extendit. Illorum mutatio & auctio ab Imperatore dependet, & pendente interregno conceduntur à Vicariis, qui Cæsarem repræsentant, cum hoc tamen moderamine, ut in alterius præjudicium alteri nec prædicatum majus, nec insigne alterius dari queat: *Capit. Leop. Aug. art. 14. ibi,* höhern Tituln oder Wapenbrieffen. Cum plerumque talia signa notent ipsam rem possessionis, unde titulus ducitur *l. 1. C. ut nemin. liceat impon. sign.* Hinc est, quod in

Gallia

Gallia magis quàm in ulla alia terrarum parte ita curiosi circa insignia evadant, & non exiguâ curiositate titulos Ducum, Comitum & Baronum per diversas coronas distinguant, quod in nostra Germania usu receptum non est. *Sic in Gallia* coronas ducales foliis quercus cum subtus positis *diamantum* ornatibus, Comitum cum grandioribus pilulis *super* acubus, Marchionũ in medio *folio* quercus, ut & in extremitatibus, in reliquo, idem quod Comites, Barones perlarum circulis insigniunt, hincque internoscuntur. Rex Galliæ suum diadema cum areu & octo circulis circundat, totque Regina habet, suumque naturale *insigne* tenet, ita ut ex media parte unum & medium *lilium* appareat, circumdata corona *in locum* ordinis quasi torque funiculato: Delphinus, cum liliis Delphinum in quadripartito scuti campo cum corona quatuor circulorum; alii filii Regis verò coronam cum liliis su-

per impositis sine arcu tenent, naturales idem habent cum interjecta inter tria lilia parva quadam linea, vulgò *la barre*. Duces & Pares habent palliolum insignia includentem: Cancellarius Reginam cum corona super mortario, in dextra sceptrum, in siniſtra sigillum tenentem. Mortariumque est proprium significativum Cancellariatus Galliæ, & ita sequenter.

In Germania tot differentias non habent, præter quod Sereniſſima Archiducalis Auſtriaca familia arcum regium supra mitra Electorali gerat, idque ex concessione Henrici Imp. ob victoriam Damiatæ obtentam.

CAP. XXVII.

De Potestate creandi Nobiles & Equites.

DIplomata Nobilitatis Vicarios dare, & experientia vulgatum est, sed an Equites creare queant: Hic

Hic ignorantiam meam confiteor; Et lubentius in negativam concesſero, cum Imperator die coronationis illud ſolenne ut extraordinarium quid obeat, Equites Caroli M. enſe tangendo, creans. Certos Ordines ſicut in aliis regnis in Alemania non habemus, niſi quod in antiquis Imperii Receſſibus Nobilis Societatis S. Georgii, & illius vexilli in aciebus ſigna appareant.

Differentia inter Equites & Nobiles eſt in Germania, quod Equitum conditio perſonalis, Nobilium dignitas in deſcendentes poſteros hæreditaria ſit, nec in collateralem deſcendat, niſi expreſsè diplomatibus inſeratur. Sæpius in Germania deliberatum eſt de Ordine inſtituendo, uti in aliis regnis, inprimis ad defendendos *Hungariæ* limites, ſed cum tale *inſtitutum* nervum rerum gerendarum pecuniam nimitum requirat, hactenus id omiſſum eſt. In omnibus ferè

aliis regnis Ordines habent, quibus benemeritos recompensant: In Gallia creantur Equites, sed non simpliciter, sed certorum Ordinum: In Anglia Differentia est inter Equites Baronetos, Equites armigeros vulgò *Esquyers*, Nobiles & Ligios. Equites Baroneti non nisi demonstrato certo quopiam ad sustentandam dignitatem sufficiente reditu creantur. *Alii* Equites æquiparantur illis, quos *Lords* appellant, h.e. Dominos, Principum nimirum & Comitum filiis primogenitis, cum & illorum fœminæ vocabulo GRATIÆ honorentur, illique Sir appellentur, armaque in vexillis more Baronum gerant. Armigeri majorum insignia publicè ostendunt. Nobiles satis communes sunt, & ex omnibus ferè asciti qui supra artes mechanicas sunt, sub quibus ibi pictura sicut in Germania non comprehenditur. Uti & Respublica Veneta literatis & virtuosis Equitis D. Marci digni-

dignitatem largitur: Et Romæ Pictores, Architecti, Poëtæ à Papa sæpius *Cavallieri del sperone*, ut Equites D. Petri, D. Pauli, Liliorum, Pii, & Lauretani, creantur.

Ligios Angliæ autem quod attinet, illi appellantur, *qui ex suis reditibus*, modo *sex libras Sterlingenses attingant*, *vivunt*, vulgò apud nos *Rentenirer*: *Nobiles* verò tales non sunt, *sed ad modum Nobilium haberi volunt.*

Ordines verò, non est, quod credas, solos illos Reges tribuere: Et Principes hoc consueverunt. Sic Ludovicus II. Dux Burgundiæ anno 1370. Ordinem Cardui Virginis Mariæ instituit, Dux Aurelianensis pater Ludovici XII. Regis Galliæ anno 1393. Ordinem Erinacei, vulgò *Porcespie* fundavit. Dux Sabaudiæ Amedæus Quintus dictus Viridis laqueolorum amoris, posteà Annunciatæ à Successoribus appellatum invenit: cum literis his: *Fert.*

(ferire) *entrer*, (intrare) *rompre tout*, (rumpere omne:) quod deinde ita vertebat: *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*: Et M. Dux Hetruriæ Ordinem S. Stephani largitur. Suntque duo posteriores Ordines adhuc in usu: Reliqui primi exolevere.

Ordines principaliores, quos hodiè Reges distribuunt, ad paucos redacti sunt, qui in Regno Hispaniæ, Galliarum, & Angliæ multi antea erant. Quidam ex injuria temporis exoleverunt, uti in Anglia, Ordo Tabulæ rotundæ, alii quod citra distinctionem personarum concederetur, uti in Gallia Ordo Stellæ, quē Ludovicus XI. Præfecto vigilum nocturnorum, vulgò *Capitaine du Guet* concesserat, suntque in hodiernum diem *les archets du Guet* illius Ordinis Equites: Alii spernebantur, quod magis sine usu erant, uti *de la Banda* in Hispania, qui tenuioris fortunæ Nobilibus dabatur, sed non nisi iis qui per decennium in aula & triennio contra Mauros militas-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0386
DFG

litaſſent. Ad cujus ſimilitudinem Reſpublica Veneta fundavit Ordinem Calzæ, ut recepti ſe exerceant in militia terreſtri,& maritima. Ordines verò principaliores ſunt, vel Seculares, vel Eccleſiaſtici: Illi, quos hodiè largiuntur Reges, hoc Ordine enumerantur: Seculares ſunt Aurei Velleris in Hiſpania, Periſcelidis in Anglia, Sancti Spiritus in Francia, Elephantis in Dania. Aureum vellus (uti aliqui referunt præter communem) amore fœminæ Brugenſis ſatis bellæ, cujus lanam à ſecreto corporis loco decerptam in Camera ſub ornatu lineo invenit, Philippus Dux Burgundiæ inſtituit, & obſoletam Maximilianus I. maritus Mariæ Burgundicæ reſtauravit: In quem Ordinem non niſi Magnates & confidentiores recipiuntur: Talesq; recepti jurant in religionẽ Catholicam & fidẽ Hiſpaniæ. Ordo Periſcelidis in Anglia qui & Regib, antehac conferebatur, pro

inſigni

insigni habet D. Georgium, uti Ordo Aurei Velleris tenet agnum, & S. Spiritus crucem cum columba & radiis.

Ordinem Sancti Spiritus conjunxit Henricus III. R. G. primus hujus author cum Ordine S. Michaëlis quasi jam emortuo, hinc & illi qui S. Spiritus Ordine investiuntur, pridie Vigiliarum Ordine Michaelis ornantur, & ut Equites Sabaudici Annunciatæ dicti cum Ordine Lazari conjuncti, in hujus memoriam duplicatam gerunt catenam. Cui catenæ Henricus IV. hoc addidit, ut antiquas literas aboleverit, & loco illarum literam H. cinctam coronis & armis Equestribus splendidiorem fecerit. Verebantur plures, ne tempore Ludovici XIII. aliquid notæ traheret, quia ille anno 1633. quinquaginta Equites una vice simul publicaverat Ordinē Equitum Annunciatæ Henricus IV. ad custodiam sui corporis, & militiam centum ex quatuor anis utriusque lateris

teris progenitos ordinaverat, ut & Christina Regina Sueciæ Equites Amyntæ creavit.

Ordines etiam Ecclesiasticos distribuit inter omnes Reges solus Hispaniæ Rex. Hic confert Ordinem S. Lazari, Alcantaræ, & Calatravæ.

Nec solum *Hispaniarum* Rex, sed & M. Hetruriæ *Princeps*, Ordinem Ecclesiasticum dat, cum hac tamen differentia, ut non nisi mixtum Ordinem Stephani nimirum conferat, cujus fratres vota ecclesiastica extra castitatem jurant.

Nec mirum hoc est in Duce, cum & prope Jerusalem monasterium Franciscí Observantium sit, cujus Pater Guardianus Equites S. Sepulchri creat, idq; exemplum ann. 1583. in Principe Razivilio *habuimus.*

Meliori jure tale jus competit Magistro Ordinis Teutonici, & M. Magistro Ordinis Johannitici Maltensis. Hic supremus Princeps sum-

summum habet Maltæ & Gozzæ imperium, præditus titulo Serenissimi à Ferdinando II. Imp. utens sigillo plumbeo ad edenda edicta, & argenteo in cera nigra ad danda testimonia, & passeportus, vivens sub protectione Regis Hispaniarum. Alter est Imperii Status, sessionem habens post Archiepiscopos, eandem quam alter, nimirum regulam Augustini cum fratribus observans: Uterq; Equitum dignitates distribuit: In Equitibus Maltensibus requiruntur quatuor ani ex utroq; latere, in Teutonico octo. In Teutonico admittitur quis vigesimo quinto, in altero decimo octavo anno completo. Portæ honorum nulli patent, nisi honestis natalibus nato, nisi quod in Maltensi Regum, Principum & Comitum naturales non excludantur. In utroq; sunt fratres dimidiæ crucis, hoc est servientes, & sacerdotes, qui nobili stemmate orti non sunt.

In

In Teutonico gerunt hi auream crucem, in Maltensi non nisi ex speciali concessione M. Magistri. Teutonica crux simplex, altera quadripartita apparet. In Teutonica unica natio, unica lingua est. In Maltensi octo sunt, ex quibus sola Francia tres, Provincialem, Avergnensem, & Francicam, Italia unam, Arragonia, Anglia, Germania & Castilia singulas tenent. Germanica deminuta est ex decessione Commenturarum Belgii confœderati, Saxoniæ, Pomeraniæ & Brandeburgi. Anglica in totum abolita est. Reliquæ remansere, inter quas Gallia ab antiquo opima illi Ordini beneficia assignavit.

Ad-

Adjecta.

[*Pag.* 20. *circ. princ.*]

DUces primum appellabantur, qui exercitũ ducebant. Postea qui limitaneis provinciis præerant. Comites autem terrarum judices erant. Utrumq; officium ab arbitrio concedentium dependebat. Posteà ad vitam ministri productum, usque dum administratio Ducatuum & Comitatuum cum pleno jure & jurisdictione in heredes concederetur, quod qua ætate factum sit, certè non constat. Referunt alii id ad tempora Henrici Aucupis, sed nimis latè, alii ad tempora Friderici I. quod potius ex usibus feudorum *lib.* 1. *c.* 1. *feud.* 1. crediderim. Constat quidem Conradum II. primum regalia Principibus dedisse, demonstrante id *authore Chronici Colonienſis.*

No-

Notum etiam est, Ottonum temporibus Ducales & Comitum dignitates Episcopis & Abbatibus cum eodem jure territorii mixti & meri Imperii attributas fuisse, nisi quod ante alios, & quidem tempore Caroli M. jamdum *Episcopus Herbipolensis* & Abbas *Campidunensis* jus gladii & *secularis jurisdictionis*, quod tum *nulli Episcoporum* & Abbatum *competebat*, exercuerit. Patet *item* Capitula Episcoporum sub Ottone III. à Regularibus in *secularia* transiisse, quo verò tempore Capitula eligẽdorum Episcoporum suorum in Germania potestatem acceperint, cum hoc alias à Principe superiore accedente totius Cleri & *populi consensu*, sive juxta alios, à *Pontifice* dependeret, quâ etiam ætate Nobiles in quibusdam *Episcopatibus*, ut soli exclusis reliquis in Canonicos & Capitulares eligerentur, obtinuerint, tàm parum constat, quàm quo temporis circulo

Prin-

Principum & Comitum dignitates hereditariæ factæ sint. Adeoque in illa, quæ obscuræ antiquitatis sunt, curiosius inquirere fas non erit. Hoc autem prætereundum non est, quod cum Romani Cisrhenanam Germaniam occupassent, illos constituisse legamus Ducem Germaniæ primæ, Ducem Moguntiacensem, Comitem Argentoratensem, Ducem Sequanicæ, Ducem Rhetiæ primæ & secundæ, Ducem Belgiæ secundæ. Vide *Conringium in acroam. de Ducibus & Comitibus p. 81.* Apud transrhenanos potentes & liberi suarum terrarum Principes erant, Principes Saxoniæ, qui Angrivarios tùm regebant. Carolus M. duos Francici regni tùm maximos Ducatus Bojaricum & Aquitanicum sustulit, provinciis inter plurimos Comites distributis, magno regiæ potestatis bono. *Conring. acream. de Ducib. & Comitibus p. 83.*

Erant

Erant sub ultimis Carolinorum temporibus exclusis Venedis & Obotritis sequentes ducatus potentissimi: Bavariæ, Sueviæ, Franconiæ, Lotharingiæ & Saxoniæ, eorumq; Ducum potentia tanta erat, ut Regum jus & potentiam meditarentur. Hinc & consideratione opum Conradus Dux Francorum, & post hunc Henricus & Ottones Duces Saxoniæ ad Imperium pervenere. Tum incepere Germaniæ Duces potentiores nimirum, tacentibus adhuc infirmioribus, leges ferre, magistratus constituere, mixtum & merum imperium exercere, precariam exigere, militem legere, convētus indicere, fœdera pangere.

Licet ex usibus feudorum hoc observaveris, quod adhuc Friderici I. tempore, illa quæ hodie inter minora computantur regalia, tum adhuc inter reservata sive Regalia majora numerarentur, ita docente *Capitulo, quæ sint regalia.*

[P.26.

[*P. 26. circ. fin.* Suecia Dania]

Nisi quod Suecia antiquiores quasdam à multis retro temporibus habeat Comitum familias, quales sunt de Brahe & aliæ, inprimis autem antiquissimis illa splendet Baronum prosapiis. Numerantur nostro seculo, uti illas enumerat *Gillenstalp in sua Politica*, familiæ Comitum viginti, Baronum triginta quatuor, ex Senatorum stemmate progenitorum quingentæ, & Nobilium albo inscriptorum nonaginta sex.

In Polonia sunt Principes, Zamoizi, Lubomirski, & Razevilii, cujus ibi sint prærogativę, qualemq; & hanc fere cum Principibus Germaniæ similem gerant Waivvodæ potestatem, vide *Starovolscium de Polonia, & me in Polon. Nov. Antiqua.*

[*Pag. 30. ad fin cap. 2.*]

Ernestus à quo linea Aldenburgensis & Vinariensis propagata est, Electoralem dignitatem sumebat una

una cum Saxonia & Thuringia, Frater Albertus, à quo moderna familia Electoralis descēdit, æqualiter cum fratre dividebat, adipiscendo Marchionatum Misniæ. Ex familia Ernesti ultimus fuit Elector Johannes Fridericus à Carolo V. dignitate Electorali destitutus, Johannis El. qui Augustanam religionē in Saxoniam introduxit, concesso Electoratu Alberti Marchionis Misniæ ex filio Henrico nepoti Mauritio. Sicque Electoratus, qui in Thuringia resedit, in Misniam migravit. Albertus ille Aurei Velleris Ordine donabatur, ex itinere Italiæ & terræ sanctæ celebris, Maximiliano Imp. ob singularia servitia gratus. Duo illius filii erant: Georgius & Henricus. Georgius Catholicam religionem in Misnia tuebatur, ob mutatam fidem Henrico, quam Protestantibus addixerat, inimicus, conditionem quidem servandi Catholicismi successioni terrarum suarum testamento annexit, sed ab

Henrico fratre, qui ex pacto & providentia majorum succedebat, elusam. Circa divisionem observa hîc, quod inter illos duos fratres Misnia æqualiter non divisa fuerit, sed quasi in formam appennagii Freyberg/& Wolckenstein/ cum 13000. florenis annui reditus possederit Henricus.

Ratione ultimæ divisionis ex testamento Domini Johannis Georgii I. Electoris p. m. erecto ann. 1652. terræ ita distinctæ sunt, ut assignaverit testator Electori, & Electoratus successoribus Burggraviatũ Magdeburgensem & Electoralem Misnicum, Lipsiensem, & Montanum tractum, cum Marchionatu Lusatiæ superioris, Mansfeldensi sequestratione, & jure in Abbatia & Prælatura Quedlinburgensi, quod in quibus consistat, vide *Wehner. pract. observ. Voc.* **Vogtey:** sampt allen dazu gehörigen Schlösser/Aempter/Graf. Herr. Lehen, Ritter, und Mannschafften/ Vestungen/Städten/Flecken/Dörffer/Unterthanen/ Diensten/Jagten/

Ge-

Gehölzen / Delchen / Folg / Steuren und anderen Herrligkeit / Nutzungen / Kellereyen / Bergwercken / Schulden / Jagthäuser / Kunst- und Rustkammern.

Secundogenito Domino, Domino Augusto Postulato Administratori ArchiEpiscopatus & Primatus Magdeburgensis, loco Episcopatus Misniæ & Wurzii quatuor ab ArchiEpiscopatu exemptæ præfecturæ, quas in Pacificatione Pragensi a. 1635. Dn. Elector Johannes Georgius I. sub lege Vasallagii ab ArchiEpiscopatu recognoscendi *Pac. Prag. a. 1635.* §. Wegen der vier resp. Herrschafften extraxit, nimirum Querfurt / Jüterbock / Dam / und Borck / & in divisionem paternæ hæreditatis Ditiones illæ in Thuringia sitæ, utpote Sachsenburg / Eckardsberg / Nebra / Freyburg / Sangerhausen / Langensalza / Weissenfelß / Sittgenbach / Heldrungen / Wedelstein & Weissenfelß cum omnimoda Jurisdictione territoriali, reditibus, censibus & omnibus pertinentiis cesserunt.

Iisdem Juribus Domino Christiano, tertiogenito nimirum obvenerunt Lusatia inferior, Episcopatus Merseburgensis cum præfecturis Dafinster Walda/ Bitterfeldt/ Dahlitz/ & Zarbig: Ut & eadem lege parens Elector Dn. Mauritio cum Episcopatu Naumburgensi & Zitz jus illud quod in aliqua Hennebergensis Comitatus parte possedit, cum dominiis & præfecturis Tautenburg/ Frauen / Prisnitz / Nieder-Trebra/ Vogtsberg/ Plauen/ Pansa/ Tribtin/ Arnshang/ Wenden/ Zugenrück.

Adjecit præterea D. testator ad majorem factæ hujus divisionis firmitatem, quod si talia legitimam non attingant, in supplementum agi nõ posse, sed habere divisionem illam formam partim divisionis, partim appennagii. In illa divisione substitutio etiam de linea ad lineam masculei generis conspicitur, ut de primogenito, illiusq; defcendentibus masculis in secundogenitum, & illius masculam progeniem, & sic

in

in sequentes Electoralis dignitas cum annexis cadat. Omnia illa supra memorata sunt masculea, excepta Lusatia superiore & inferiore, quæ & in fœminas cadit, cum adhuc de regni Bohemiæ, quæ fœminas non excludit, & cujus antehac annexa provincia erat, natura & qualitatibus participet: Hinc est, quod in dicta utraq; Lusatia filiæ Electoris defuncti expectantiam in deficientiam masculorum habeant, cujus & expressa in testamento mentio fit.

Duo etiam Episcopatus, ut Merseburgensis & Naumburgēsis, in hæreditatem venerunt, cum adjecta lege, ut Elector illas hæreditarias facere procuret, vel æqui pollens descēdentibus possidentium Ducum assignet. Et nota sæpius in testamento in posterenitis mentionem fieri, *eines* Deputats/ eines Fürstlichen Unterhalts/ item appellari Dn. Electorem Lands-Fürsten/ cum tamen jurisdictione territoriali & reliqui gaudeant, quod in Apennagiatis nō usuvenit.

Dos filiarum tam Domini Electoris, quam Dominorum secundorum Principum reducta est ad duodecim mille thaleros, computato thalero ad 24. grossos: Olim illam fuisse in domo Electorali Saxonica triginta mille thaleros, memorat *Springsfeld intr. de appennagio.*

Datur autem illa dos ex Electoratu ab Electore, & cujus ideo consensum reliqui in nuptiis implorare tenentur. Parentes ad supellectilem, jocalia, & vestimenta arbitrariè astringuntur.

Cuilibet filiæ Dn. Elector testator, utpote uni Conjugi Domini Georgii Landgravii Hessiæ, alteri viduæ Domini Friderici Ducis Holsteinensis, tertiæ Domini Friderici Wilhelmi Ducis Saxoniæ Altenburgensis nuptæ, & ita singulis decem millia thalerorum legavit.

Ratione successionis: Ubi unus vel alter absque liberis moreretur, reliqui una cum Electore in capita succedunt. In Electorali digni-

dignitate senior ex propinquitate lineæ hæres est, ita ut dimidium terrarum suarum reliquis fratribus relinquat.

Indivisa inter fratres postgenitos Dn. testator expectatias feudorum, constitutionem Academiarum, & judiciorum aulicorum, item documenta fecit, & si quæ auri fodinæ imposterum nascentur, in communione illas esse voluit.

Ratione onerum ita disposuit, ut illa debita quæ Kammer-Schulden appellant, solus Elector, reliqua verò, puta Steuer-Schulden/ postgeniti proportionabiliter solvant.

Ut & juxta qualitatem & proportionem terrarum communes legationum expensas, collectas Imperii, Circulorum, & sustentationem Cameræ Imperialis ferant.

Confirmavit item inter omnes consuetam ex longo tempore simultaneam investituram, homagium hæreditarium, Erb-Huldigung und Erb-Einigung.

Prærogativæ loco Elector 1. habet die Flöß 2. solus conventus Imperiales tam universales, quam particulares, ut Creiß probation & Valvation Tag visitat.

Test: injunxit Electori, ut cupientibus postgenitis tempore belli & pestis, illorum viduis & descendentibus arcem aperire, illosque recipere teneatur.

Quod alienationem Principatuum & bonorum attinet, illam inter fratres ut & oppignerationem sine reliquorum consensu, & urgentissima caussa prohibuit.

Inter alias conditiones testamento annexas præcipuæ sunt 1. servandæ Augustanæ Confessionis, qualis radicata est in confessione exhibita Imperatori Carolo V. Apologia, formula concordiæ, Articulis Schmalkaldicis, Catechismo Lutheri. 2. Astringendi sucs consiliarios & ministros ante receptionem ad Juramentum religionis Augustanæ.

3. Cum

3. Cum Ecclesiasticis & Consistorialibus prohibendæ novitatis. 4. Contra domum Austriacam nulla fœdera ineundi, nec illi ullo modo nocendi, sed potius omnis observantiæ exhibendæ. 5. In emergentia ardui cujusdam negotii cum proximè conjunctis, & inprimis cum Confœderatis den Erbverbrüderten/ uti cum Domo Brandeburgica & Hessiaca, communicandi.

Austregas, quas Augustus Anno 1541. introduxit, ita confirmatas in testamento lector videbit, ut nascens controversia ex utrinque lectis vasallis & consiliariis, vel per Academiam communi voto vel sorte optatam absque ulteriore disputatione, ohne einige Weiterung decidatur. Et ita veræ illæ Austregæ non sunt, sed potius compromissum, cum ab illis regulariter appelletur, ab hoc vero non, nisi sub obtutu enormissimæ læsionis: *R. I. de ann.* 94. §. so wollen.

Testamentum illud omnes subscripsere filii, nominato in testamento executore Domino Friderico Wilhelmo Duce Saxonicõ Altenburgensi.

[*P. 45. in fin.* 8. anus.]

Per anum intellige generationem: In quibusdam ecclesiis cathedralibus desideratur deductio triginta duarum, sive sedecim generationum utriusque lineæ tam paternæ quam maternæ; Quomodo autem computentur tales generationes, de hoc consule *Limn. I. P. tom. 4. l. 6. c. 5. n. 50.*

[*Pag. 51. lin. 17.*]

Clerus Sueciæ bona sua ab omnibus oneribus libera possidet extra casum necessitatis, habetq; tertiam decimarum frumentariarum, & minores decimas ex toto. Quod prærogativam attinet, sequuntur Comites & Barones, quos Episcopi M. Britanniæ anteeunt; quorum tamen uxores (quæ alias splendent hono-

honore mariti) Comitissis & Baronissis ibi cedunt. Inter Protestantes nullæ sunt pinguiores præbendæ quam in Anglia, quod vel unicum exemplum ArchiEpiscopi Cantabrigensis docet, qui ad minimum habet reditum annuum quatuor mille librarum sterlinensium, quod meo calculo nostræ monetæ excurrit ad 16. mille Thaleros, & plus: Sed ad quid nimia pinguedo, nisi ad promovendam putredinem: Sufficit, si docentis relevetur necessitas, dum enim (inquit c. 23. dist. 93.) in ecclesiis crevit avaritia, periit lex de Sacerdote, & Visio de Propheta: Quod satis experitur Italia, cui si cum Ducatu Parmensi Regnum Neapolitanum, quæ ad directum dominium sedis Romanæ pertinent, cum statu & terris Pontificis detraxeris, reliquum non tanti erit. Hinc vocatur *Terra de Preti*. Et in Gallia & Hispaniis ad tertiam, in Polonia verò ad dimidium excurrunt bona ecclesiastica.

[*P. 52. lin. 7.*]

Malè enim concordat Psalterium cum cithara, & gladius Nimrodi cum baculo Aaronis, & hinc est, quod sanxerint Pontifices titulum in Decretal. *Ne Clerici vel Monachi se secularibus negotiis immisceant.* In Suecia Episcoporum munus est sinceritatem doctrinæ curare, judicare *in causis spiritualibus*, ecclesiarum, cæmeteriorum, *nosocomiorum*, & aliorum piorum locorum curam gerere, Scholarum & Academiarum advocatos esse, examinare & instituere Pastores & Parochos ab ecclesiis præsentatos, illos transferre, corrigere, & abdicare, ecclesias visitare & unire, Bibliothecas & typographias servare, erigere, Synodos diœcesanas cogere, in illis præsidere, proponere, suffragia legere, & concludere, & quæ sunt alia mitræ Episcopali ex præscripto juris divini adhærentia, quæque &

in

in d. Regno pari jure competunt Superintendentibus, cum Episcopis parificatis; quod enim sunt Episcopi Græcè, hoc sunt Superintendentes Latinè, *August. de civit. Dei*, c. 10. Sequuntur Superintendentes, Præpositi districtuum, qui inquirunt in illa, quæ ecclesiam concernunt, Visitationibus cohabitant, & gregi domini Verbo & exemplo prælucent, quosq; immediatè sequuntur Parochi. Qui vero Episcopatus & sedes Superintendentium sint, de his consule *Gyllenstalp. in d. lib.*

[*P.* 150. *lin.* 23.]

Quid ratione Ditmarsiæ & Comitatus Oldenhorst inter Sueciam & Daniam per modum renuntiationis ex parte Sueciæ actum & conventum fuerit, de eo vide Pacificationem Suecico Danicam ann. 1660. 27. Maji concluſam, *art.* 18. *In Diar. Europ. p.* 4. *pag.* 540.

[P. 166. ad fin]

Die Liste eines Römer-Monats in universali:

	Fl.
Churfürstl. Quantum, --	11426
Geistliche Fürsten	20450
Postulirter Ertz- und Bischthumben Augsp. Conf.	1624
Weltlicher Fürsten/	17543
Secularisirter Bischthumben/ die nemlich zu Herzogthümber gemacht seynd/ -- --	1736
Gefürsteter Abbte/	1352
Prælaten/ --- --- --	2260
Abtissinnen/ -- --	384
Schwäbische Gräfen/	2717
Wetterauische Grafen/	2861
Fränckische Grafen/	760
Westphälische und Niedersächsische Grafen/	1392
Rheinische Städte/	7059
Schwäbische Städte/	8124

Unter denen Churfürsten gibt am meisten Chur-Sachsen/ als 1984

Un-

	Fl.
Unter denen Erz-Bischoffen Salzburg/	1828
Unter denen Bischoffen Würtzburg/	1390
Unter denen Fürstlichen Häusern Oesterreich / wegen Oesterreich und wegen Burgund/	7312
Und giebt Burgund zum Türcken-krieg 3. Churfürstl. Anschläge; were also zusammen Türcken-Steur wegen Oesterreich und Burgund/	9140
Unter andern Fürstl. Häusern ohn den Churfürstl. Anschlag gibt Chur-Brandenb. wegen seiner Fürstenthümber/	2159
Nach dem Braunschweig und Lüneburg/	2152
Nach dem Hessen/	1699
Nach dem Pfaltz-Neuburg/	1531
Sonsten zahlt das gantze Pfaltzische Hauß ausser der Chur/	1851
Unter den Abten der von Fulda/	404
Unter den Prælaten Salmansweil/	316

Un-

Fl.

Unter den Abtissinnen die vō Essen/ 76
Unter den Wetterauschen Grafen
das Hauß Nassau/ 401
Nach dem Hanow/ 400
Unter den Schwäbischen Grafen
das Hauß Truckseswalburg/ 456
Nach diesen Fürstenberg/ 354
Unter den Franckischen Grafen/
Hohenloh/ 256
Nach dem Lewenstein Wertheim/ 160
Unter den Westphälischen Gra-
fen Oldenburg / nemlich von
Oldenb. 216. von Delmenh.
und Harpstet 80. als 296
Nach diesem das Hauß Bentheim 268
Unter den Reinischen Städten
Cöllen/ 1100
Nach diesem Straßburg/ 840
Nach diesem Franckfurt am
Mäyn/ 800
Unter den Schwäbischen Städten
Nürnberg/ wegen vieler Land-
schafft so dazu gehöret/ 1480
Nach diesem Augspurg und Ulm
jede 900

Seynd

Seynd also diesem Computo nach unter den Schwäbischen Städten mächtigere als unter den Rheinschen.

Diese Römer-Monat seynd vor Alters daher entsprungen / daß die Römische Käyser allemahl jhre Cron vom Pabst zu Rom haben holen und empfangen müssen/auff welcher Reise sie dann / von denen Ständen des gantzen Römischen Reichs dahin begleitet / und convoyret worden mit 20000. Mann zu Fuß und 4000. zu Pferde; Diese 24000. Mann/haben die Stände 6. Monat lang erhalten müssen/und ist einem Reuter monatlich 12. fl. einem Fußknecht aber 4. fl. gereicht worden / belaufft sich also die Besoldung 1. Römer-Monat/ 128000. fl und wann die beede Stäbe als der Officirer / und Artilerystab/ deren jeder zum wenigsten so viel als der obige gemeine erfordert/noch dazu kommet / belaufft es dreymal so viel/ nemlich 384000. fl. ohne die Werbung / welche auch nicht höher gerechnet/als auff itzbesagtes quantum

der

der 384000. Fl. die 6. Monat zu unterhalten macht 2304000. Fl.

Wann nun nach vorigem auff der andern Seiten gemeldetem Tax ein Monat gehoben wird / belaufft sich solcher nur auff 79688. fl. Folget also / daß nohtwendig an die 33. Monat müssen gewilliget werden / wann obiges quantum sol drauß erfolgen / daher kompts / daß offt 50. 60. 80. 100. ja biß an 120. Monat gefordert und gewilliget worden wie dann ohne das die mehrere Stimme hierinne nicht obsiegen / sondern einem jeden frey stehet / wie viel Monat er abstatten will / fordert man gemeinlich desto mehr / damit das quantum deficiente uno in reliquis erfolge. Diese Römer-Zügehaben ihre Endschafft genommen / bey Zeiten Caroli V. der die letzte Päbstl. Cron zu Bononia empfing / und seynd nachgehends in eine Türcken-Hülffe oder Türcken-Steur verwand worden / und solches noch bey Zeiten des letzten Königs in Ungarn / wie solches erscheinet auß dem

Reichs-

Reichs-Abschied de anno 1522. §. 1. Und ist solche Hülff / testante eodem Recessu, lieber in Volck als Geld angenommen worden. Solche Hülff ist liberi arbitrii, dahero sie eine freywillige mitleidentliche Hülff in den Reichs-Constitutionen titulirt wird/ da hingegen zuvor bey den Römer-Zügen sothane Collecta necessitatis gewesen.

[*P.187. lin. 9.*]

Porrigebatur illud aurum à Judæis omnibus in Imperio, dum adhuc essent servi immediati Fisci Cæsarei, cum verò in Statuum illorum, in quorũ ditionibus habitant, jurisdictionẽ territorialem & potestatem partim concessione Imperii, partim cõsuetudine transierint, exolevit illud onus, subrogatâ indictione ordinariâ, vulgò die Schatzung.

[*P.219. lin.12.*]

Miror, Regem Galliæ Pedemontii titulum suo non includere, cum illa provincia fuerit quid annexum Provinciæ, à qua illum districtum an-

anno 1363. vi bellica avulsit Domus Sabaudica, idq; sub Imperio Johannæ, ut Dominæ d. provinciæ.

[P. 222. lin. 23.]

Rex Galliæ illum titulum Regiæ dignitatis sive Serenitatis sive Celsitudinis, ut daret Sabaudo, nunquam permoveri potuit, sicut nec Veneti, idque ob prætensiones in regnum Cypri, à quo ille suam derivat titulaturam.

[Pag. 230.]

In Credentialibus ad Status Imperii in Comitiis anno 1663. mense Martio exhibitis à Domino de Gravelle Plenipotentiario suo, Rex Galliæ Status Chariſſimos & Magnos amicos salutabat, citra aliam adjectionem; ad Senatores Poloniæ vero ita, sub dato Maji mensis 1663. Reverendiſſimi, Illustriſſimi, Reverendi, Illustres, Nobiles & Generosi Amici, quem titulum & Senatoribus & Statibus suis Rex Poloniæ, omisso solum nomine amici, tribuit.

[P. 232.

[*P.232.lin.7.*]

Sic & Rex Angliæ ad Regem Sueciæ sub 3. Maj. 1661. Serenitas vestra: Et vulgariter ita Rex ad Regem: Frater, Consanguinee & Amice; & ubi Imperator ad Regem: Ita, Consanguinee, & Frater, quod minus notat.

Scribitur ad *Batavos* Confœderatos: *Celsi & Præpotentes.* V. *Præpotentia, & si à superiore, Connectuntur hæc:* Præ & Potentes. Nec solum se Majestas dividit in Cæsaream, & Regiam: Supereſt & alia Zarica nimirum, quam sibi vindicat M. Dux Moscoviæ: E. Zar Majestat.

In amplitudine titulorum coincidit aliquatenus cum Rege Hispaniæ M. Dux Moscoviæ, *cujus latissimum* titulum vide in *Diar. Eur. p. 10. p. 320.* in quo observatur, quod illa conjungat, M. Dominus, Zar, & M. Dux Magnæ, Parvæ & Albæ Russiæ, Servator Moscoviæ, additis quatuor vici-

vicibus nomine Zari: Additur postea & multarum aliarum nationum & ditionum in Oriente, Aquilone & Occidente avitus hæres, Dominus & Dominator. Quod nulli alteri commune est, id Rex Portugalliæ sibi attribuit: Ita ille: Rex Portugalliæ & Algarviæ, cis & trans mare & in Africa, Dominus Guineæ, & (quæ ultima nota) acquisitæ negotiationis & Commerciorum Æthiopiæ, Arabiæ, Persiæ & Indiarum Dominus.

[*P.* 239. *lin.* 7.]

Anno 1662. male ferebat Rex Galliarum, quod Confœderati Status Unitarum Provinciarum in literis perscriptis illi nihil amplius darent, quam Sereniſſimi titulum, postulanti antiquum ab illis solitum dari, *Treshaut*, *treſexcellent*, & *treſpuiſſant Prince*, vel Regia Majestas Christianissima.

[*P.*

[P. 244.]

Quæque præterea jura & quas in Imperio expectantias desuper habeat Rex & Regnum Sueciæ, de eo vide *Recessum limitaneum inter Regem, Regnumq; Sueciæ & El. Brandenburgensem 1653. conclusum.*

[P. 284. *ad fin.*]

Quid in Pacificatione Suecico-Polonica ann. *1659.* 24. die Maji ad finem perducta circa exercitium religionis Catholicæ privatum in Livonia dispositum sit, docebit *art. 4. §. 2. d. Pacificationis,* & quam exhibet *Diar. Europ. d. p. p.* 342.

[*Pag.* 298. *lin.* 11.]

Illa quæ Reformatæ religionis sunt ex dictis Protestantium votis, sunt Pf. Lautern / Pf. Simmern/ Pf. Zweybrücken/ H. Cassel/ Anhalt/ Hirschfeld/ Nassau Dillenberg: Estq; votum mixtum Reformato-Catholicum N. Hadamar & Sigen.

[P. 308.

[*P.*308. *lin.*19.]

Civitates unitæ Alſaticæ vivunt ſub protectione Præfecti provincialis, quæ præfectura tempore belli Bavarici ſub ætate Maximiliani I, Imp. à Comitibus Palatinis per ceſſionem in domum Auſtriacam, & ab hac 1648. per pacificationem Monaſterienſem tranſiit in Regem & Regnum Franciæ.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0420
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0421
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0422
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0423
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn749357088/phys_0424
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0425
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0426
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749357088/phys_0427
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn749357088/phys_0428
DFG


the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
mm
Inch